Księży

Opuscula in his miscellaneis sub Wro= contenta sunt 33.

1. Oratio de coronatione B.V.M. in claro monte dedicata Christoph. Szembek Eppo Chelm. sine l. t.
2. Immaculatum Virginis Deiparæ lilietum, a Joa. Bapt. Agnensi et Stan. Jos. Bieżanowski utroque oculis seu visu orbato elaboratum et dispositum. Crac. 1675
3. Inaccessa Sanctissimæ Virginis Montana p Thom. Gromnicki ex voto. Oratio. Crac. 1667.
4. Majestas sacræ claromontanæ Imaginis p Dionys. Chełstowski O.S. Paul. Claromonti 1717. Orat.
5. Graeculum parthenium Virg. Deiparæ honori a Jo. Bapt. Agnensi et Stan. Jos. Bieżanowski Crac. 1668. simil. nro 2.
6. Sacratissima Virginis Dei Matris Reg. Pol. Majestas a Seb. Piskorski versib. dam. Crac.
7 Theatrum Marianum.. in nemore Strzyscensi a Joan. Bytomski productum Crac. 1642.
8. Kazanie przy tuszym solenn. Dziękczynieniu za Dekret Kanoniz. Bł. Stan. Kostki przez Stefana Szczanieckiego S.J. r. 1715. 3. Lut. miane. Kalisz.
9. Kazanie Jana Chryz. Benedykta Gninskiego na Ur. B. Stan. Kostk. 1687 miane. w Krak.
10 Korona z pochwał SS dwóch uwita p X. Ant. Lipiewicza O.M. Krak. 1748. S. Jan Nep. i Ant. Padew.
11 Laska i pieczęć nadworna Niebieska. czyli Kazanie na S. Jan. Krzciciel. i Jan. Nep. p X. Fortunata Łosiewskiego + w Krak. 1732. + Franciszkana.
12 Malogranat albo Kazanie przy exekwiach Panny Xiężn. Ostrogskiey p Woyc. Czarnockiego S.J. Krak 1636
13 Promocya Kanonizacyi S. Jana Kant. czyli Kazanie p X. Fortun. Łosiewskiego Krak. 1732
14. Syn przyrastaiący S. Józef. czyli nań Kazanie p X. Marcella Dziewulskiego Franc. Krak. 1725.
15 Acumen Doloris ex obitu Stan. Szembek. Eppi Crac. p Mathæum Jos. Kołędowicz Crac 1721.
16 Ad mentem Patriæ caput Stan. Leszczynski in fastos gloriæ relatum a Coll. Posn. S.J. relat. Posn. 1699.
17 Clavis aurea fracta seu in obit. Melch. Michałowski, Joa. Stan. Dzidowski poesis Crac. 1687
18 Classica mortis feralia Jos. Greg. Popiołek ab academ. excitata. Crac. 1758.
19 Dissertationes sup rubricas de sepulturis et sumptib. funeb. p Andr. Lipiewicz propos. Crac. 1751.
20 Dolorum oneraria navis in funere Stan. Luc. Opaleński p Seb. Sortowski Crac. 1712. Orat.
21 Dolor Patriæ æternus in funere Constantini Feliciani Szaniawski Eppi Crac. a Congr. S.P. Crac. 1732. elogia.
Encomium ad solemnes exequias
In obitum Seren.mi Principis } deficiunt.
Jactura orbis Literarii transmissa
22 Xiężyc JW Śeliwy w Jakubie Morsztynie adumbrowany od Koll. Krak. S.J. 1729. Xsiężyc
23 Fatalis lunæ pallor ad urnam Jac. Morsztyn a Coll. S.J. Crac. 1729 adumbratus Orat. et Carmen.
24. Memoria Sæculor. in obitu Aug. II p Ign. Cant. Herka. 1734. Panegyris
25 Monumentum doloris Mariæ Josephæ Reg. Pol. in obitu Versus lat. et pol. p Stan. Rzewuski Crac. 1758.
26 Medela doloris in obitu Franc. Ant. Stogowski porrecta p Joan. Byszkowski Crac. 1672 Orat.
27 Monumentum aureæ pipennis exsuscitat. in ob. Alb. Koryciński Arch. Epp. Leop. p St. Jos. Bieżanowski Crac. 1677. orat.
28 Mœror et dolor Sæculor. Stan. Dębski Eppi Crac. comploratus a Collegiis S.J. Crac. 1700.
29. Parasceve in obitu Joann. Lukini p Ant. Jos. Zołędziowski descripta Crac 1750. Poesis.
30 Splendor Korybuthei sideris in funere Mich. Reg. Pol. a Mathia Brocki carmine consecratus Crac. 1676.
31 Tropheum z pańskiego urodzenia, na pogrzebie Stan. Chometowskiego p X. Brun. Osieckiego Z.S.P. Częst. 1729. Kazanie
32 Tropheum ex immatura morte Helenæ Opaliniæ in Eccl. Ryther. a Carolo Trewani paneg. consecr. Crac. 1676.
33 Viva mors seu morti superstes virtus et Gloria in exequiis Georg. Duc. a Zbaraż a Nic. Grodzieński Crac. 1631. elogia.
34 Authores in his Miscellaneis præter Anonymum sunt 24.

Anonymus 1, 16, 18. 21. 22
23. 28.
Agnensis Joan. Bapt. 2, 5.
Bieżanowski Stan. Jos. 2, 5, 27.
Brocki Mathias 30.
Byszkowski Joann. 26.
Bytomski Joann. 7.
Chełstowski Dyonysius O.S. Paul. 4.
Czarnocki Woyciech S.J. 12.
Dzidowski Joan. Stan. 17
Dziewulski X. Marcell. Z.S.Fr. 14.

Gninski Jan Chryz. Benedykt 9.
Grodzieński Nicol. 33.
Herka Ignat. Cant. 24.
Kołędowicz Mathæus Jos. 15
Lipiewicz Andreas 19.
& X. Antoni O.M. 10
Łosiewicz X. Fortunat Z.S.Fr. 11.13.
Osiecki X. Bruno Z.S.Paws. 31
Piskorski Sebastianus 6
Gromnicki Thomas - - - 3.
Rzewuski Stanislaus 25.
Szczaniecki X. Stefan S.J. 8.

Sortowski Sebastianus 20
Trewani Carolus 32
Zołędziowski Ant. Jos. 29.

(23)

FATALIS LUNÆ PALLOR

Ad urnam

ILLVSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI

D. IACOBI MORSZTYN

Sandomirienſis PALATINI

Profuſis, Exundantium dolorum tempeſtate lacrymis

Polonum involvens Orbem.

ILLVSTRISSIMIS

FRATRIBVS,

ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. ANDREÆ MORSZTYN

CASTELLANO Sandecenſi.

ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. STEPHANO MORSZTYN

CAPITANEO Duninovienſi.

Nec non mæſtiſsimo poſt munifici Patrui funera, Nepoti.

ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. STEPHANO MORSZTYN

CAPITANEO Kovalienſi, Copiarum S. C. M. V. Colonello

Perenni Dolore

ADVMBRATVS.

à Collegio Crac: *Soc. JESV* ad SS. PETRVM & PAVLVM.

Annô, quo Sol Juſtitiæ Serenum terris accendit meridiem MDCCXXIX.

CRACOVIÆ Typis JACOBI MATYASZKIEWICZ S. R. M. Typographi.

In Stemma *ILLUSTRISSIMÆ* MORSZTYNIANÆ DOMUS

Mediis apparet in Astris *Claud.*

Fraterno illustrabit lumine terras. Silig: l: 8.



extollamus in astra Nepotes. Virg: l: 3: Æne

Debetur Cælo, fatisq; ad Sidera tolli. Virg: l: 12. Æne.

I

Pallet, & effusos lacrymarum provocat imbres,
Hæc, quæ purpureâ Cynthia luce micat
Exstingvit nox sæva jubar: Mors Lumen in umbras
Pellit, & Astriferum jam tegit urna decus.
Sed quo sidereum funus; capiere sepulchro?
Sola Tibi tumulum, credimus, astra dabunt

II.

Forte sibi Lechicum formabat Lumina Cælum
Dum Vestræ vidit sidera prima Domûs.
Vidit felici Stellas ardere serenô,
Lunamq; aurata spargere luce jubar
Quod spectans: tantum radiat si Stemmate Lumen
Sol mihi MORSZTYNIUS quilibet, inquit, erit.

JLLUSTRISSIMI
ET
EXCELLENTISSIMI
MECÆNATES.

INter fatales tenebras, ita profusis luctibus diem Lunæ pallentis, dicimus, ut obscurā incompti doloris svadam, splendoris Vestri meridie illustrare ambiamus. Non aliter nimirū lucem publicā vidisse debuerat collectus in paginam dolor, nisi Nominis Vestri serenum præseferret: Non aliter profundi lacryma potuit, nisi Vestris affluxisset plantis. Sanè non fortiter doluissemus, Magni Palatini funera, si ita mærori succumbendum esset, ut in Crucis Andreæ *signo certaturis, sub coronato utriusq́;* Stephani *Nomine, ipsismet in luctibus tri-*

umphum agere non liceret. Provocamus equidem amaram ab oculis tempestatem, solem tamen in geminis Fratribus & Nepote Illustrissimo intuetur palpebra, sic in copiosas dissolvenda lacrymas Odit scilicet dolor tenebras: Nec quantumvis pretiosus sit, latere amat, qui nusquam latere potest. Emeritissimi Senatoris funeribus parentatura pullos licet induit luctus pagina, verùm nullis fatorum noctibus exstingvendum Avitæ decus Cynthiæ, *adorat. Plena est, & nunquam hactenus decrevisse audita Patriæ* Lunæ *serenitas, totiq; Poloniarũ Regno, toti Europæ, toti planè Vniverso in* Vobis *enituit* Lelivitarum *sideris lux integerrima. In Te* Illustrissime Andrea Morsztyn *Castellane Sandecensis trabeato Lumine nitidior, tantùm splendoris acquirit, quantùm à sole diei lætus derivat Orbis, tantùmq; lucis Sarmatico Olympo diffundit, quantos, radiantis Phœbi meridies, terris accendit æstus. Illustrissimis, Senatûs Poloni titulis, non major ab aureo Fortunæ radio accedit serenitas, quàm à Tuis virtutibus; quibûs exornati murices pulchriùs ardent, ac si universus Tyrii decoris splendor, purpureis advenisset flammis. Vltro Tuis se ingerunt dextris Senatorii fasces, ultro trabeæ properant, culmen honoris acceptura si Tuâ*

non

non calcatæ plātā, humeros sibi meruerint. Nec plura referimus, cùm et disertiorē in Tuis laudibus, inter dolores svadam novimus, & cæcutire neminem ad eam lucem arbitramur, quâ seu domesticos intra penates, seu in sole publico, Celsissimo *Palatinatui, totiq; congregatæ ad Regni comitia Poloniæ, illuxisti. Sic in Patria* Illustrissimus *Castellanus: Nec minoribus ad soles exteros splendoribus enituisti* Illustrissime Stephane Morsztyn *Duninoviensis Capitanee, cū* Serenissimas *Galliarū Majestates Tuæ gloriæ accendisti. Viderant illæ Proavorum Tuorum* Ioannis & Michaelis *immortalem famam, vivis in Te animari coloribus, & Majorum illustres ceras in Tuis ardere vultibus: è quibus & Nominis* Morsztyniani *Majestas, & Polonæ fortitudinis gloria; & sublimium virtutum splendor, & omne promicabat decus. Ignosces verò* Illustrissime Capitanee, *quòd Tuos in illa Regnorum corona honores, Tua in Patriam quoq; merita non refero: profusiori exarata stylo, inter exundantes luctus, virtutum Tuarum lege elogia. Iam me Tua* Illustrissime Stephane Morsztyn *Kovaliēsis Capitanee Principis Imperatoriæ Cohortis V. Colonelle avocat gloria. Parces enim in prima facie erubescenti paginæ, quòd amplissimā laudum Tuarū*

arum Copiam, breviori constrinxisset elogiô, soloſq; Illustrissimi Patrui *amores, non verò vocalia totô Imperiô merita retulerit. Felici scilicet ignorantiâ factum censeo: ut pluries repetitô encomiô Tuum celebraremus Nomen; & primam Panegyris frontem* Stephani *Coronaremus laudibûs. Licèt omne honorum fastigium ipso* Morsztynii *Nomine merebaris semper, altiores tamẽ bellicæ fortitudinis gloriâ, devinxisti titulos. Quid enim accensas ad Petervaradinum, Temesvarum, Belgradum atq; inter Siculi Vesuvii flammam, triumphales pyras intueor? Vniversa hæc illustris triumphi pompa Tuis quoq; illuxit laudibus Heros Invictissime. Cum enim Othomanica Porta, Herculeæ fortitudini campum aperire videretur; ivisti bellicosissimi, æquè ac felicissimi Ducis & Principis* Eugenii *perpetuus tot triumphorum quot bellorum Comes; contra hostem improbũ, solôq; superbum numerô non animi fortitudine audacem, in illo certaturus exercitu, qui tot numerabat triũphos, quot Heroes; tot (ut absq; verborũ fuco loquar) in manibus palmas victrices habuit, quot ensẽ stringentes dextras. Quoties ventum est ad pugnã, ventum toties ad laureas, ut dubium fuerit, an fortiori, an feliciori Marte decertarunt. Expugnatæ Vrbes, capta*

forta-

fortalitia jam prius ipsa obsidione captiva; fugatus cæsusq; hostis, repetitæ cladis angustiis limites Imperii dilatati. Hæc dum narro, Tua ne arbitreris taceri encomia: Non enim Cæsariani Exercitûs triũphos leges, quin legas tuos; Nec gloriam illius audire potes, quin audias Tuam: sive enim fortitudinis testes, Bistonum Cervices appello, sive effusi, Tuo mucrone Othomanici cruoris consciam Gradivi arenam, sive ensis purpurei laborem, locutura cruento ore vulnera, sive spirantia invicti Herois gloriam Getici Martis cadavera intueor; plurimas in vertice laureas ad immortalem perennaturas famam adoro. Ista in vocali Christiani Orbis triumpho (cùm toties Siculis horridiores accepisset vesperas Oriens) virtus enituit. Nec impar fortuna in felici Hymenæo cum Illustrissima Helena Szembecia *Castellanide Vislicensi illuxit. Toto se purpurarum illustri vere, Tuis honoribus* Szembeciana *Rosa explicuit in* Celsissimis Principibus, *altero nuper Primate Regni, altero nunc Varmiensi Præsule; in* Pontificiis *violis maximè* Illustrissimi Kujaviensis *Autistitis, in tot Procerum purpuris, totq; Regni decoribus quot Viris. Sed quid Vestram* Illustrissimi Morsztynii *gloriam in exigua hac pagina arctare nitimur, quæ ultra Poloniæ li-*

mites plurima implevit Regna. Pauca non-nisi in laudum Vestrarum Compendio attigimus: quòd non referamus universa, non svadæ parcitatem, sed gloriæ Vestræ magnitudinem incusate, quæ obruere potest Oratorum copiam, non potest levi pennâ pro dignitate attolli. Admittite tamen breve Nominis Amplissimi elogium: (profusiùs enim lacrymis vacandum censuimus) simulq; in partem doloris Vestri admittite, sed ad mæroris nostri solatiū, ita fortunatis in Cælo Patrio effulgete splendoribûs, ut nunquam (si optare licet) ad lacrymarum tempestatem pallentem in Vobis Lunā videamus.

Ita precatur

Illustrissimo Nomini Vestro

Devinctissimum Collegium Crácov:
Societatis I E SV ad Sanctum
PETRVM & PAVLVM.

HActenus Vobis Senatoris Magni Manes *Illustrissimi*, ad meritorum pretium, aureô fortuna stylô; ad Nominis Májestatem, sublimibûs Honor purpurîs; ad claritatem Generis, tantùm non ipsa titulorum Serenitas immortalem scripsit gloriam: nunc, ubi Tulliani fontes quæruntur in lacrymis, ubi cum tristibus tumultuantium mærorum procellis, Oratoria luctantur flumina; disertus pro fati acerbitate in luctibus dolor, lugubre feret elogium: atq; genîs omnium exundans lacryma, panegyrim fundet illi Palatino, quem sic docuit vivere trabeîs innutrita virtus, ut deplorari, terris ereptus meruerit, & perennaturis planctibûs tumulari. Ita scilicet inter Procerum purpuras, honorem Lechicum circumferunt; inter dignitatum fastigia, attollunt Patriam, inter fortunæ serenum Polonæ gloriæ accendunt diem MORSZTY-

NII, ut non occidant, nisi luctuoso æquori immergantur; ipsôq; occasu funestis diem dicant doloribus; nec fatis priùs cedant, quàm lacrymis. Nimirum ùt ad solatia sustentati orbis Lechici, statis Atlantes fortissimi, sic ad luctum oppressi pectoris, & ruentium vestro casu gaudiorum dolendam stragem, ingens jactura caditis. Nihil in vobis quod Regni Serenitatem funestaret, vel tranquillam Sarmatiæ palpebram in effusas solvere posset lacrymas, cernebatur hactenus, præter communi mortalium sorte subeunda, non tamen siccîs spectanda oculîs vestra funera; qui nunquam luctuosos indolentis Lechiæ mærores, si nunquam fata vidissetis. Credimus enim inter numerosam triumphorum gloriam, inter amænum victricium Lauruum Aprilem, inter defensæ toties à MORSZTYNIIS felicitatis suæ tripudia, flere nunquam Patria didicisset, si mori nescíretis. Nullîs equidem adstringitur legibûs haud indigus præcepti luctus: (haurimus simul cum vita miseram hanc flendi artem) si tamen tristem doloris Palæstram Orbis conderet, conderet in tumulis. Exhibet etiamnum lugubrem urna

Cathe-

Cathedram; ſtat fatale pro roſtris feretrum, pulverem literarium ſepulchrales PALATINI effingunt Cineres, & ſpectatorẽ oculũ ad fletus erudiunt; adeò doloris ingenium acuente funeſto marmore, ut ceu nulla verior, ſic pulchrior nulla fatorum Majeſtas & gloria concipi poſſit, quàm communis amantium luctus cordium. Obruantur funeris gravitate pectora; offuſa mergantur ora, non deerunt etiam inter errantia toto vultu verborum naufragia, ponderoſæ voces lacrymis, MORSZTYNIANAM laudẽ per Letheas quoq; undas diffuſuris. Sic vidimus crudeli funere ſoles occumbere, ſimulq; integrum per Olympum accendere illuſtres lingvas, ſuum enarraturas occaſum: vidimus horridîs fatorum noctibûs, non exſtingvi ſiderum lumina, ut inſepultæ umbris Cynthiæ, obſcura deplorent fata, ipſisq; Cæli oculis loqui funera videantur. Poterant ſuum Poloniæ amorem, quia Te *Illuſtriſſime* vel in umbra fatali Senator, eripere crudeles Parcæ, non poſſunt vocales lacrymas. Animaſti ſcilicet emortuos Tecum luctus; primumq; eruditæ ad fletus palpebræ aperuiſti fontem, cùm poſt plurimos ſolicitæ in bonum publicum frontis ſudores,

post impletos hostium cruore Gradivi campos, vitam tandem effunderes. An enimverò amissum non doleat Patrem Patria, Corona gemmam; Senatorem Proceres; invictum Mars Heroem, Heroes Martem: an non doleant munificum Mecænatem Templa; suam, pauperum egestas fortunam, coronam probitas, Honor gloriam, tota deniq; Polonia decus sibi ereptum cum MORSZTYNIO. Ergo non vili tumentes undâ fluctus, sed plenam lacrymarum procellam, per vicinas Provinciarum oras, per Regni viscera, peregrinum quoq; inter littus provehat mæstus Vistula, diffundat terris omnibus dolorem, totôq; alveô fata deploret purpurea. Et mæstus Lunæ pallor, si quando madentes funestavit terras, vel ploratura largîs imbribûs edocuit sidera, aut infelix in Orbem traxit diluvium, certiùs nunc, pallente ad urnam *Illustrissimi* IACOBI MORSZTYN Sandomiriensis Palatini Avitâ Cynthiâ, secuturam ceu individuum comitem tempestatem provocat lacrymarum. Excipite depluentem dolorũ procellam veluti portu quodam Magni Cineres, nullam tamen luctibus metam ponite. Excipite sepulchrali Caucaso oculorum

naufra-

naufragia fatales ſcopuli, ſic vel duritiem fati emollient lacrymæ, vel ſævo Niobes marmore dolentium pectora obrigeſcent.

Etſi in hac doloris tempeſtate contractam in nubes pluvioſas ſerenare frontem, aut pendentes ab oculis nimbos removere crimen ducimus, (ubi unicum eſt nunquã ſatis doluiſſe ſolatium) antequam tamen triſte illud obruentium lacrymarum diluvium exundet in pagina, primum naſcentis Domûs fontem delibare licet; ſcrutariq; profundiùs, quibûs illuſtrem animã ab Aſtris hausêre MORSZTYNII. Felicî in Avitum Inſigne ſiderum influxu, purpureos ſortiti ortus è Rheno velut ab Heſperio Phœbus æquore, Sarmaticis illuxêre terris: ſimulq; diem auream, ſimul patriis limitibus intulêre Cælum, quod ſuô clauſum ſtemmate, Domi habent. Effulge ſerenius germanũ Solis lumen, primæ magnitudinis aſtrum, LELIVITARVM Inſigni ac Olympo affixa Cynthia, ut *Illuſtriſſimæ* Proſapiæ ſplendor, toto Lechico Orbe irradiet. Ruite ab axe fortunata ſidera! nullum egena tellus par Meritis Virtutiq; *Morſtyniæ* proferre decus poteſt. Traxiſtis itaq; è Cælo ſtemma quod Vobis præclarè geſtorũ glo-

Origo Domûs Illuſtriſſimæ.

 ria,

ria, quod pretiosum fortunæ serenũ, quod illustris tulit pietas; Nomẽ quoq; ab avitis sideribus traxistis. Prima illud imposuit quondã Germania *Comites de Monschter* (idest Lunâ Stellâq; *Illustrissimos*) appellans. Sic toto Imperiô hodie etiam Vestra celebratur Domus: Sic Augusta Caroli VI. Majestas honoraverat in *Illustrissimo Stephano Morstyn* Duninoviensi Capitaneo, Viennam nuper Legato, eumq; Domui Vestræ titulum Cæsareâ inscripsit manu, cum scripsisset Poloniis. Sic quoquè superstites adhuc, amplissimi Comitatûs Hæredes, Vobîs, ut suæ Domûs gloriâ, gestiunt illustrari: quod cùm intra sua pectora, aut solius Alemaniæ limites arctare non poterant solatium; effudêre in paginam, sua in Lechicas terras ad Vos vecturam gaudia. Intulit fortunatum hoc Regno decus è *Palatinatu Rheni* ad nostrũ provectus Vistulam, dignus tantis Posteris Progenitor ille, quot Nominum tot Principum in *Polonia* Familiarũ Parens, *Comes de MONSCHTER Specimirus* vel à mira specie, vel ab admirando virtutum specimine appellatus. Retentô enim in quibusdam Posteris *Illustrissimis* Comitũ *de Monschter* Splendore (qui immutata nonnihil

voce,

voce, omnibûsq; titulîs in unum contractîs nomen, *MORSZTYNII* à Polonis dicti ſunt) eadem cum *Tarnoviis, Melſtyniis, Granoviis, Sieniaviis*, initia antiquiſſimæ dedit Proſapiæ. Tali è fonte, & tam alto Sanguinis Oceano *Morſtynii* promanarũt; tales ſortita cunas Gens *Illuſtriſſima*, quæ ita ſtemmate excepit Cynthiam, ut quot poſteros, tot Soles Regnis ferret, diem accenſuros feliciſſimum. Longùm eſſet *Sandomirienſes, Vendenſes, Maſoviæ, Livoniæ, Sădecenſes, Radomienſes, Czernenſes*, referre Purpuras; longùm per faſces recenſere Viros, aut ad numerum, Domus Magnæ Honores revocare. Vagiunt in oſtro, & antequam Muricem Honor porrigat, antequam trabeatis adſtringat Lucina crepundiis, proprio ſanguine fiunt purpurei: Supremas vel hoc Nomine meriti dignitates, quòd naſcendi ſorte *Morſtynii* dicantur. Domeſtica Vobis ſexcentis jam ab annis Summa Regni faſtigia; adeò ut primus ille è Domo Veſtra in *Cracovienſi Palatinatu* Hæres, *Adeodatus MORSZTYN Cracovienſis Succamerarius*, non modò Craciæ Nobilitatis Princeps, ſed Princeps quoq; fieret, tot ferè Procerum, quot Succeſſorum ſuæ Virtutis

Honor Regnorum, Morſztynii in Purpuris.

Adeodatus Morſztyn, Succamer: Cracov:

& Nominis. Agnosce superûm favorem Poloni Orbis fortuna! licet enim felicissima sorte tam prosperi Tibi venerunt Incolæ, omnes tamen Tuæ gloriæ noveris esse *Adeodatos*. Præivit pedisequis fascibus sublimis Scipio, dexteram meritus *Illustrissimi, Alexandri Morsztyn Curiæ Regni Mareschalci*. Tres ille Filios reliquit *Andream, Alexandrum, Christophorũ* Filipoviẽsem Capitaneum: ut ad Triarios fortuna honorq; Lechiæ devenisset. Primus, Vendensem Palatinus purpuram induit; vel ideo sublimem, quòd ad Sidera usq; aviti Decoris tolleretur: vel ideo ter felicem, quia ab Andreæ Cruce benedictam. Nec inferior titulîs licèt annîs minor, magnus semper virtute *Alexander*, Vendẽsis quoq; Palatinus, germanus vel ipso honore Frater. Successit Fraternis fascibus, ut quodam successionis jure devolvi ad Vos trabeæ crederentur. Quid verò saluti publicæ concessus à superis *Tobias Morsztyn* Venator Regni? Erexit ille tam Numinis honori extollendo, quàm levandæ mortaliũ miseriæ ædes, hoc adjectô titulô: *Christi infirmis*, ut colligere vel inde liceat, quã non vanum nomen tulerit Magnus *Tobias*, dum amplissima liberalitate infirmis Christi,

Alexander Morsztyn Mareschal: Regni.

Andreas & Alexander Morsztyn Palatinus Vendensis.

Tobias Morsztyn Venator Regni Legatus in Daniam & Sveciam.

Varsaviæ xenodoch: fundavit.

Dei

Dei *medicina* (ùt Tobiæ Ethymō loquitur) ſeſe profunderet: quam donec amiſiſſet Polonia, nunquam non optimè valere poterat. Auream pacem vexit fortunato ore Legatus ad Danos: ſed enſe pro caduceo fultus in Sveciam Mercurius, Leoni Gothico ferrum non ſine vulnere intulit, & tot funerū certum, quot injuriarum conſcium terruit timendus Hoſpes. Nec promerita exſpectatio ſpem metumq; eluſit. Senſit, ſenſit efferus hic Leo Poloni Herculis dexteram, & in ſpolium invicto Heroi, Magno Venatori in prædam ceſſit: jam indè edoctus, ut noſſet tandem, cui ſerviant Leones.

Regnorum Defenſores Morſztynii

Fortunatior verò fraterno paſſu *Illuſtriſſimi Ioannis Andreæ Morſtyn* Regni Theſaurarii adventus fuit, infelicibus ſua clade Svecis, qui velut à ſuperis miſſum Hoſpitē, atq; lapſas è Cælo cum *Ioanne* gratias adorarunt; cùm enim ſecurum in vagina mucronem Gothicis imminentem cervicibus quieſcere juſſiſſet, Olivenſia Pacta concludens, & Leoni Svetico formidinem, & fatigatæ Polonorum dextræ cruentum ademit laborem: ſimul Europæ pacem, ſimul tranquillitatē Patriæ reſtituit. Debes *Ioanni* gratias Lechica felicitas: Leonem non hoſtem,

Ioānes Andreas Morſzt: Theſaurarius Regni Olivēſia pacta cōclud.

licèt jam mitescere edoctum, tuîs ipsa pace expulit limitibûs. Debes *Morßtynio* vitam hostis invide, quòd audaci animo lacessita funera, Marte Sarmatico jam jam inferenda à tuo Capite amovisset. Nec Viri tanti, gloria unô Regnô claudi potuit. In Italiã quoq; ad supremum interris Iovem Pontificem maximum Mercurius, per plures Provincias, sui, Poloniq; Nominis vexit pretiũ. Dicat enim flos Regnorum Gallia, quo honorũ pondere unicum Cordis Patrii æstimavit thesaurum, pretiosam Magni Thesaurarii Prolem *Michaelem Morßtyn* Comitem de Chasteauvilain? Nullibi pulchriùs, ac inter æstus bellicos, interq; fumantes Gradivi ignes, aurei nitent Viri, nullibi probantur certiùs ac ad duriores omnî Caucasö bellorum leges. Ivit inter Pares Galliæ ad triumphi æqualitatem certaturus, neq; aliter adversas copias, ac suæ fortitudinis visurus spectaculum. Sed quia tardare sibi credebãtur triumphi, lentôq; pectoris ardentissimi vota morari passu, ùt vincendi cupidus, sic moræ impatiens, cum Principe Gradivi Gallici Iuventute in inimica Castra irruit, per prostrata cadavera augustam sternit viam, certus vel ad lauream victricem vel ad heroicæ mortis gloriam Nobilissi-

Michael Morsztyn, Comes, Heros occumbit in Galliis.

bilissimo passu currere. Et sanè pervenit ad vitæ cursum ;* millena inter adversi Martis funera vivere desiit: & diutiùs cum Anglico Gradivo quàm cum morte luctatus, centum per vulnera grandem efflavit animam: dubiumq; stupenti Galliæ reliquit, an invictā mirari debuerit audaciam, an Herois sui lugere jacturam. Innatam scilicet etiam extra Regnū, Vobiscū circumfertis Lechici Martis virtutem, quos non magis ad bella, quàm ad triumphos, ita erudiit, ut fatalis quoq; Cupressus, in immortalem sinuetur Laurū. Referamnè integram Bellonæ gloriam Heroes *Morſtynios*? ingens prodiret exercitus, si excussô fatalî pulvere omnes descenderēt in arenam. Toties defendistis Patriam, quoties non defuit qui oppugnaret? quoties Sarmaticæ in bella volarūt Aquilæ, nunquam cunctatores audivimus. Ocyùs fulmine ruebatis in hostem, quoties Lechia triumphales laureas meteret. Applaudite Victrices ad Chotimum sub Vladislao IV. Polonorum Cohortes, augent *Morſtynii* numerū & triumphum. Ignes ignibûs Othomanicam Lunā Avitô exstingvunt sidere, ut ceu duos Olympus Soles, sic Patrium quoq; Cælum geminas non pateretur Cynthias. Protrusū itaq;

Ad Chotymum 12. simul strenuè decertant.

è Regni limitibus inimicum astrũ corruit, in eas quas minabatur Sarmatiæ, damnatũ noctes. Numerũ quæritis? quô ad pulchrã bellandi gloriã properarunt? stetêre duodecim: & quisq; Castra faceret. Non ampliùs, Lechica vexilla secutus Hercules laborasset, nõ certasset fortiùs, non nobiliùs triumphasset, aut plures palmas raperet, quàm duodena Heroum dextera. Creditis? exiguũ ad gloriæ magnitudinem visum fuerat, si ingentes animas inter inimica funera exspirassent: exiguũ ad fortitudinis famã; si vel vitam tantùm vel hostiles nonnisi fudissent ausus, fuderunt utrũq;. Non jactet suos Italia Fabios; pauciores quidem numerô, animô tamen majores una dies abstulit *Morsztynios:* duodecem simultaneô ceciderunt fatô, tantîsq; ruinîs obrutum oppresŝere hostem, & animam dedêre triumphis Poloniæ. Sic soles umbras invehunt, dum occidunt. Sic dum cadunt fulmina, feriunt. Nec respirasse hosti datum! infelix undiq;, immortales in campo laureas Marti Lechico reliquit, quas in triumphum duodeni funeris, illustris victoria contulisset. Sed quid recenseo heroici amoris in Patriam exempla & prodigia? Miratur hæc Polonia, Gallia, sentit Scythia, Svecia, edocta toties,

Domi

Domi Vestræ, & vivere Gradivos & nasci.

Tantùmnè triumphali mucrone perennē exarastis gloriā Heroes invictissimi? tantùmnè bellicas arenas emeritîs onerastis Laureîs? Etiam Regum Palatia laudum Vestrarū ingentem campū aperiunt. Etiam Aula Principum non ita sterile solum est, ut adultam gloriæ messem non porrigat. Vestrîs Regū pectora amoribûs, Regna vivunt ingeniîs. *Illustrissimum Hieronymum Morsstyn Posnaniensem Canonicum* Polonæ Regiæ eruditum decus, *Sigismundi Augusti Mater*, cùm Sarmatiam regeret, habebat à Consiliis, nunquam non *Bona* dum tanti viri prudentiâ niteretur. O emeritum Verticem! dum solicita mente Patriæ curas volveret! o frontem gloriæ honorisq; Caput! dignum quod primæ coronarent tiaræ. Quod *Hieronymus* in Regno, hoc in Dania *Joannes Morsstyn* Regis Consiliarius, & Generalis. Excipiebat Regii cordis arcana, intra pectora quiescens *Ioannes*: nemoq; feliciùs, nemo gratiùs ad mentem Principis cogitasse poterat, quia nemo Cordi vicinior. Optimè consultum Vobis est, felicis Sceptra Daniæ, cùm è Sententia *Morsstynii* imperatis. Quosvis difficultatum gordios, etiam *Ioannes* solvet;

Intimi Regum Consiliarii.

Hieronym9 Morsztyn Reg: Bonæ Consiliarius.

Joannes Morsztyn Regi Daniæ à Consiliis.

 vices

vices ſuppleturus Alexandri. Inſolubilem tamen ipſemet dubitanti Throno reliquit nodum, an fortiùs, timendo enſe invictus Generalis, an glorioſiùs accerrimô tueretur Regnũ ingeniô, Conſiliarius. Vicina quoq; Brandeburgici Principis Aula ad ſimilem honoris apicem evexit, dum pectus electorale *Illuſtriſſimo Boguslao Morſtyn* intimo quoq; Conſiliario concredidit. Fruſtra Delphos conſulerent priſca ſecula, ſi Vos habuiſſent: fruſtra Phæbũ quærerent ſi illuxiſſent *Lelivitarum* Sidera, quot illi Regibus Conſilia, tot oracula fuderunt, ſole Capite digniſſima.

Boguslaus Morſztyn intimus in Brandeburgia Conſiliarius

Hucuſq; ad Regum latera, intra pectora Principum hærebant *Morſtynii*: hucuſq; proximi ſoliis in ſupremo honorum culmine ſtabãt; Ne tamen vicini ſolâ Purpurâ ſpectarentur, etiam Regum Sanguinẽ derivarunt, non unô titulô pluribus Thronis propinqviſſimi. Id dotis fortunatô intulit Hymæneo *Ioannis Morſtyn* Theſaurarii Regni Conjux Catharina Marchioniſſa de Huntley, è Regibus Avis progenita Chriſtianiſſimi Regni ſolium, in *Philippo Bello*, Angliæ Sceptra in *Edvardo II.* Thronum Scotiæ in *Roberto III. Iacobo I. & II.* Domui huic nexuit in Coronam, atq; multorum Europæ

Regum Sanguis Morſzty-nii

Prin-

Principum Serenitates Vestræ jussit allucere Cynthiæ. Tantos Reges vicinæ sequuntur Mitræ, & trabeæ, quas in *Philippo Burgundiæ, Adolphô Cliviæ, Margarithâ Bavariæ, Mariâ Geldriæ Principibus* effecit Vobis Consanguineas. Aurum auro superaddidit, tot Serenissimis Nominibus, multiplicî titulô Sacram Hierosolymitani Regni Majestatē adjunxit Princeps de Cheureusse *Michaeli Morsſtyn* Comiti fortunatô juncta connubiô, è Lotharingiæ Ducum, & Ducum Principis profusa Sanguine. *Godefridum* loquor de Bouylon, Heroum prodigium; fortitudinis non tam ideam, quàm miraculum; virtutū Coronam, & post ereptum Othomanico Solio, *Christi* Imperium primū Hierosolymæ Regem. Noscite nunc quæ Nominis *Morsſtyniani* Majestas à tot profusa soliis; quanta Generis Serenitas nō unius Regni accensa Phoebô. Nec tantùm ab extero sole splendores provocamus. Principes quoq; in Lechica Corona Familiæ, *Moskorzewscii, Czartoryscii, Potoccii, Kalinowscii, Mysſkowscii, Iordani, Poniatowscii, Szembecii, Oborscii, Zabokliccii, Lanckorońscii, Zalescii, Rozwadowscii, Dersżniakovii, Przerēbscii, Gnievossii,*

Ducum Germaniæ Galliæq;

ac Principum Poloniæ Familiarum.

 Sie-

Sieninscii, Smietankovii, Silniccii, ceu vicina Cynthiæ sidera, lumen sunt *Domûs Illustrissimæ* & tot nominibûs colligatos vobis primos Poloniæ splendores reddunt.

Hæc prius recensui antequam ad Senatoris Nostri Progenitores ab Avis Proavisq; ac Celsissima Propinquitate descenderem. Tanta nimirũ decora præluxisse debuerant, antequam ortus spectaretur, illo felix Sidere, cujus lugemus occasum. Nactus itaq; Parentem, *Illustrissimũ Vladislaum Morsztyn Kovaliensem Capitaneũ; Illustrissimam Matrem é Moskorzewsciis*, Celeberrimâ *Pilavitarum Domô*; quæ in communibus cum florentissimo hodie etiam *Potocciorum* Nomine, Crucibûs, toto Sarmatico Orbe triumphat. Iam Magni Genitoris purpuras sublimes non quæro, toties enim, quos sua porrigebant merita, quos Regum promittebat favor, quos cruẽtatus Geticæ cervicis tabô ferebat ensis, murices ferre renuit, maluitq; mereri trabeas, quàm habere. Vigesies ad Comitia Regni Nuntius, plurium Palatinatuum voto electus & exoratus sive bellorum svasisset fulmina, Pericles detonabat; sive aureum florentis oleæ ver extolleret, Hortensius censeri poterat. Talẽ ille

Vladislaus Morsztyn Parens Il-lustrissimi Palatini,

Vigesies ad Comit: Regni Nuntius,

ille se Mercurium: qualem verò Gradivum in campis exhibuit? Bellicosissimos Reges secutus *Casimirum Michaëlem*, & *Ioannem*, toties se Hectorem praebuit Sarmaticum, quoties descenderet in arenam. Non uno sub Principe Laureîs meruit coronari, dum Stemmatis sui Astrum, trium Poloniae Regũ sidus effecisset, quod ad triũphos praedux viam tereret praeclaris audaciae documentis *Illustrissimam*. Fervebant Soles Lechici, bellicîs incalescentes ignibûs, quorum temperatura aestus, tristem hostibus Avita Luna inferebat umbram. At cùm decertat strenuè, saepiùsq; Fortunae favoribûs triumphat audacia, jurato in suum Caput, & jam viscera Regni scrutaturo hosti in manus incidit, inter tripudiantis Cosacorũ ferociae plausus. Frustra, frustra excitatis triumphos barbarorũ victoriae! Stringere dextras licet non animum Herois, qui vinciri potest non vinci. Laetus enim inter funestam quoq; carceris faciem, ipsasq; inter compedes liber, gaudebat sê captivô Patriam defendi libertatem. Interea conjectos in vincula cum *Vladislao* triumphos arbitrata Polonia, ocyùs fortunam mittit ut Gradivum recipiat, aureae sortis rotâ, suis limitibus in-

Bellator insignis.

à Cosacis Captꝰ auro redimitur.

vehendum. Sic carò emitur pretioſa virtus! ſic æſtimātur gemmæ inter vincula captivæ! Aurô alii pacem redimunt, redimunt Poloni Martem, cujus triumphalis mucro tam Laurus metit, quàm oleas. In Patriā itaq; ſibi ipſa captivitate obſtrictam rediit Torquatus melior, docuitq; præclarô exemplô, quàm illuſtre ſit, nō Palatia tātùm ſed obſcuros quoq; carceres pro libertate incolere. Profluxit è Paterno pectore in *Illuſtriſſimam* Prolem, libertatis amor. Duo ſimul vivere deſierāt ac cæperunt; quia forſitan impatiens ligari etiam intrà cunas animus, diſſolvi maluit quàm vel purpureîs conſtringi faſciîs. At ille ſi nomen virtutemq; conſideres Angelus,
Michael Morſztyn Frater Jllmi Palatini ad Viennā cadit. ni hominem fata probaſſent, *Illuſtriſſimus Michael Morſztyn*, nutanti ad Viennam Imperio, columen futurus, cecidit. Quærere nimirū extra limites fata debuerat, qui Patriæ nunquā mori potuit. Nec impunè fugit verius quàm abiit barbarorum ferocia, dum vindice gladio ad perniciem othomanici nominis cæſa, effuſo ſanguine crimen diluit. Diverſo à fratre bellandi genere certare ag-
Alexander Morſztyn S. J. 2dus Frater Illuſtriſſimi Palatini. greſſus *Alexander Morſztyn Societatis IESV*, qui blandientis fortunæ victor, cum Philoſophico ſimul vitæ curſum attigit Ca-

liſſii.

lissii. Nec ampliùs tumulos recludam: superstes adhuc in *Illustrissimo ANDREA MORSZTYN* Castellano Sandecensi, & *STEPHANO* Capitaneo Duninoviẽsi, Fratribûs vivit gloria *Illustrissimũ Sandecensem Castellanum* in quoddam laudum compendium efformare visa natura liberalior. Si enim Gradivum quæris? formidandum ense galeâq; Martẽ, Siradiensem tunc Capitaneum intuere. Vidisses ut se Leonẽ Leoni Gothico opposuit, collectis è suo Palatinatu Heroibus inundantiũ armorum tempestati hostium cadavera aggeris locô positurus. Si audacem palpebram in Phæbum tollis? lege exaratũ ceu in Parnassi rupe ad Petram Carmen, quod funesto in marmore, læsus consortis fato scripsit amor, cum *Illustrissimæ è Zalesciis Morsztyniæ* in DD. PETRI & PAVLI Cracoviensi Basilica illustri, ad ipsam fatorum pompam, & sui affectûs magnitudinem funere, Vxoris dilectæ Manibus, tunc nonnisi injuriis sibi, dum ereptis, justa persolveret, nulli cessura pretio. Tulliũ quoq; in Te exhibes Orator Trabeate. Pendet ab ore Tuo, seu congregata Palatinatuum Nobilitas, seu convocatum ad generales congressus Regnum. Pro oraculis

Illustrissim⁹ Andreas Morsztyn Castellan⁹ Sandecensis Frater Illustrissimi Palatini.

 hodie

hodie etiam censentur verba, omnium laude approbātur, æstimantur. Pretiosior scilicet facundia, cui pretium aurea virtus addidit: fortior unita virtuti svada: floridiùs loquuntur ora, pulchro probitatis Aprilî vernantia. Oratoriis nexibus conjuncta probitas, magisq́ tenero Tuo cordi intima, quam sua rosis purpura, aut soli radius, eam magnæ eruditioni prudentiæq́ devinxit gloriam, quam adorant præsentia, secutura venerabuntur secula Vidimus majestuosiùs innocentes gemmas coronari in auro; ingenuum pudorem pulchriùs nitere in purpuris; digniùs in Curuli summam eminere probitatem. Evexisti in sublime cælestia mortaliũ decora, & quendam Virtutum Senatum amplô conclusisti pectore. Dux ipsemet ad omnia sanctiora, exemplo præis secuturæ Devotioni: ipsemet ad meliora famulantium mentes animas, anima quædam Virtutũ; ut jam feliciùs conversô proverbiô: ex Tua exire Aula debeat, qui pius esse noluerit. Angustus arctatusq́ adhuc videbatur amplissimæ menti virtutis superumq́ amor, si pectore tantùm aut una in Aula clauderetur, vel solò nonnisi ore, non verò liberalî quoq́ dexterâ sese profunderet. Pretiosam in Divinissimos Apostolorum

lorum Principes PETRVM & PAVLVM testatus munificentiam, velut ad lydium lapidem ad Petram hanc, & manum & aureum in superos probasti affectum. Stat Regiæ Majestas Basilicæ, primorum apex decorum, Regni spectaculum, spectantisq; illicium palpebræ, duodena Apostolorum Corona, liberalitatis Tuæ pars magna; decusq; illud quod suo adauget Vaticano Tuæ refert gloriæ. Augustale quoq; ubi pretiosô Divorum exuviæ conduntur tumulô, à Tuis æstimatius gratiis, à liberali manu ornatius assurrexit. Vivîs coloribûs Tuam pingunt munificentiam marmora; Tuæ liberalitatis dona nudi olim parietes induunt; ut jam Sacra Divorum Lipsana, palatia quædam incolere videantur. Gaudent Tuîs pretiosa favoribûs & cultu augustiore in terris ornata Martyrũ agmina: æternos nõ in rudi herba, at in Laureis victricibus promittũt triumphos, totoq; Cælo gratias pollicentur. Quodsi affluentes exstincti *Palatini* Germani Tui funeribus luctus referam: non sic Castoris occasus, amantem funestavit Pollucem, aut cadentis fatum Memnonis gemmeos dolentis pupillæ imbres provocat, ut Fraternæ vitæ naufragia, profusi doloris trahunt altum.

 Simi-

Illuſtriſſimus Stephanus Morſztyn Capitaneus Duninov: Frater Illuſtriſſimi Pala:

Similis mærorum conjunctio Tuum quoq; *Illuſtriſſime Stephane Morſtyn Duninovienſis Capitanee* conſtringunt pectus. Sæpe equidem aurea, æſtuantis Phæbi ſerenitas ridentes in fletum còëgit oculos; Tibi, etſi aſſvetam ad Regnorum Soles, Polonæ more Aquilæ referas palpebram, pallentem tamen in *Illuſtriſſimo Fratre Tuo* Avitam Cynthiam ita non licet intueri, ut triſtem pluere lacrymam non jubeas. Non deflecto, quamvis Tua decora ſereniorî ſpecto oculô. Primum ver ætatis Gallicis donaſti Liliis, inter laureata Capita, pullulantes inter victrici fronte laurus, flos Iuvenum & Heroum; apud *Ludovicum XIV.* non tam ſtipendia merebaris, quàm amorē. Cùm verò nullus de quo triumphares adeſſet hoſtis, invictum Regis animum oppugnaſti, ut pluribûs Tibi haberes devinctum affectibûs. Supererat adhuc lectiſſimus Bellatorū numerus è clypeata quinq; millium Polonorū manu, quam Ludovica Poloniæ Regina Chriſtianiſſimi Principis Capiti conſultura ſubmiſit in ſuppetias. Tu reſiduæ Gradivi Sarmatici gloriæ Dux factus, oſtendiſſes profectò in quantam laurearum meſſem militares excreviſſent manipuli, ſi fortitudini Tuæ hoſtilis au-

dacia

dacia Campum panderet. Sic in Galliis dũ nectis moram, moraris desideria Patriæ, & spes altissimas, in longa trahis vota. Quia tamen ad votum semper Poloniæ fuisse consveveras, multam exspectationem, propero adventu coronasti *Stephanus*. O quo Te gaudio nativum excepit Solum! quo plausu ab extero Sole reducem, Lechica salutavit Aquila! Iam scilicet legebat è vultu Tuo quod proxima scriptura erant secula: perspexit quod Orbis posterus suspiceret, sensitq; præsago jam tunc omine, quantum in Te uno præsidium Patriæ advenisset. Non nescio, si vitam fata lacerent, vel intestinus hostili gravitate dolor obruat, bullientem in venis Sanguinem, ceu animorum langvori auxilia quædam allaturum, subitò ad cor confluere, ut irruentium fatorum tempestatem excutiat. Oppresserat Regni viscera adversa potentia, & ne animam liberæ Patriæ eriperet, timebatur. Quid ageret Nobilissimus Sanguis? ceu fædere quodam conjunctus ex plerisq; Regni venis, ad Cor Sarmatiæ *Morstynios* nimirum properat, dum Caput belli esse noluissent. Ad latus itaq; pectoris viscera Regni defensuri, cum *Illustrissimo, Fratre Tuo*, hærebas semper, omni dexte-

 ritate

ritate connisus, ut nihil sinistrum Regno evenisset. Evenit nihil, triumphavit Vestris consiliîs Lechia, cui velut pro æstimando in Patrem captivum amore acturi gratias, reddidistis, quam Magno Genitori auro redemerat libertatem. Ivisti insuper pretiosus pro fortuna Lechiæ Orator Viennam, & Imperatoris animum soluto ore in communia vota pertraxisti. Protinus omni metu solvit Patriam adversus ensis, aureamq; tulit pacem hostile ferrum, dum pedem metuendi vertices extulissent. Atq; ita ab omni fœderis nexu, omniq; formidine libera Polonia, Vestræ adstrictam se meritò agnoscit fortitudini. Permitte jam quod in Villa Kośćielniki, Tua generosissimè ad seculorum memoriam exstruxit liberalitas, Palatium invisere. Vt è fronte Majestas prospicit, sic omnia ad majestatem, videnda refert. Non hîc recludo gazas, non intimiora Aulæ scrutor decora, non ingentem eruditionis thesaurum amplissimã Bibliothecam specto, sufficit enim Tuum mihi intueri Caput. Non conquisita undiq; volumina evolvo quæ operum Tuorũ gloriâ implere posses & augere. Vnũ est quod admirationem omnium, omniũ laudes mereatur. Intaminatam ducis vitam,

tantus Innocentiæ amator ut cor Tuum Patriam virtutum effeceris, quas Coronent ſuperi in *Stephano*. Fratrū hactenus gloriā, quos eædem cum noſtro *Palatino* ſtrinxêre cunæ, retulimus; propinquiora etiam *Morſtynorum* Nomina recenſemus. Primus Fratribus Frater ſuccedit Patruelis *Illuſtriſſimus Antonius Morſtyn* Palatinus Livoniæ, illô ſanè felicior *Antonio*, qui eliquata in gemmas Regna exhauſerat, & pectore patente pro tumulo excepit, carô licet dilectôq; funere, funere tamen ſepulchrôq; condita. Tibi equidem Magne Senator intrà viſcera Regnum eſt, ſed quod Tuîs animatur conſiliîs. Regnum, quod olim *Illuſtriſſimi Stanislai Morſztyn* primò Maſoviæ, Sandomirienſis dein *Palatini Parentis Tui* fortitudine inclaruit. Hic enim poſt exhauſtas cū mille periculis hoſtium vires, fortunatam ex integro reddidit Poloniam, maximè, cùm *Te Antoniô* ditavit, quô Patronô felicitas univerſa reperiri poteſt faciliùs, quàm amitti. Non ſine lacrymis comitaris ad urnam Cineres Fraternos, & qui Cordi Tuo ſemper fuerat, medio in pectore tumulatur. Quis verò Tibi doloris ſenſus *Illuſtriſſime Stephane Morſtyn* Capitanee Kovalienſis? una

Illuſtriſſimus Antonius Morſztyn Palatinus Livoniæ Patruelis Frater Illuſtriſſimi Palatini.

Illuſtriſſi: Stephanus Morſztyn Capitaneus Kovaliēſis.

 na

nà cum *Illuſtriſſimo Michaele* Fratre Tuo. ùt Tibi ſereniori vultu, liberaliùs allucebat, ſic pallet funeſtiùs Cynthia *Palatini*, copioſiori lacrymâ deploranda. Indolebis ſemper illius funeribus, cujus pectoris hæres fueras; amore Filius, Nepos Sanguine; favore liberali, jam in Kovalienſi Capitaneatu Succeſſor, vivamq; munifici Patrui mæſtus ubiq; circumferes memoriam. Tu quoq; *Illuſtriſſime Ioannes Morſtyn* Siradienſis Capitanee quo vultu Patrui funera intueris, Nepos utiq; proximus? ridentes genis gratias, & explicatum amæna fronte ſerenũ, triſti obducis nube; copioſisq; offundis luctibus. Tuo ſe nuper arbitrio Vniverſa ſubmiſerat Polonia, dũ ad lancem Themidis, communi omniũ ſententiâ æſtimatiſſimum Tribunalis Regni *Iudicem Deputatum*, & *Vice Mareſchalcũ* adoravit; qui in Lechiæ Areopago nihil non è mente ſuperum decernebas. Amaverat ſuum Virtus Patronum in Iudice, Severum Vindicem metuebant ſcelera: non enim ita gratias ferebat nomine *Ioannes*, ut timeri non poſſet. *Illuſtriſſimum Chriſtianum Morſtyn* Dapiferum Bielſcenſem in fædus quoddam dolentis procellæ trahimus: quem Poloniis Galliiſq; probatiſſimum hucuſq; fama

Illuſtriſſimus Ioannes Morſztyn Capitaneus Siradienſis.

Illuſtriſſimus Chriſtianus Morſztyn Dapifer Bielſcenſis.

ma loquitur. Seu etenim Sarmatici en sîs gloriæ inimicas cervices immolaret, ſeu Filium *Paulum Morſtyn* ſuperum honori cō ſecraret, atq; inter *Ignatii* flammas carā offerret victimā, ubiq; Heros invictus, ſeu de hoſte, ſeu de amore proprio triūphaſſet. Quid verò recenſeam, quot Viros, tot Domus Magnæ Decora *Illuſtriſſimos Michaëlem, Vladislaum, Carolum, Chriſtophorum, Alexandrum, Morſtynios*? Ignoſcetis properanti ad luctum ſvadæ, quòd Nomina Veſtra referat tantùm, non merita: perſvaſum enim mihi eſt, vel inter ipſa tacentis linguæ ſilentia, ſufficere ad Veſtri gloriam, dixiſſe *Morſtynios*. Sed adhuc inter *Illuſtriſſimi Cracovienſis Capituli* Coronas, Regiū *Caſimiri* Nomen tacuimus, *Illuſtriſſimū Caſimirum Morſtyn* Cathedralē Canonicū: adhuc tenuis ſvadæ umbra non adoravit Solem illū, qui in libra Themidis Iudex Deputatus, Virtuti primum, poſtremum vitiis dicebat diem: at emergens è Tyberi, toto Theologico mari, eruditos, in certaminis æſtu, diffundebat Splendores, præclaraq; acuti ingenii evibrabat tela, ùt ſuos Phæbus radios; toties illuſtris gloriæ argumenta poſiturus, quoties oppugnaſſet. Nec ſub roſa *Adal-*

Illuſtriſſimus Caſimirus Morſztyn Canonicus Cathedralis Cracovienſis.

 berto

berto Avita, relinquimus *Jlluſtriſſimū Adalbertum Morſztyn*, Camenecenſem Canonicum. Aris ille virtutes infert, virtutibus quandam adauget majeſtatem. Faciãt ſuperi ut hiantes ruituraſqꝫ in verticem ſuũ Infulas, emerita hæc attollant Capita.

Verùm obliviosanè penna, proximum Senatori Magno Sanguinem, velut inſepultas, aut triſtibûs fatîs, aut ſanctiori inter Religioſas umbras funere, Sorores prætcrit? Vivit adhuc, mæſtum, poſt Fratris amati fata, ſolatium, Soror gemina *Conſtantia* & *Eleonora*: illa à primo vitæ Aprili inter Benedicti ſpinas planè *Conſtantia* ſtabili virtute floret: altera Seraphicis *Saleſii* ignibus, fervoris ſuperaddens incendia, Sacras illuſtrat umbras. Hæ Cælorum amoribus, reliquæ in vitæ ſocias *Jlluſtriſſimis* ceſsêre Familiis. *Jlluſtriſſimus Michael Jordan* Palatinus Bracławienſis, tam *Marchionū in Mirow Myſkowſciorum* Avita ſoleâ ad ampliores progreſſus titulos, Regibus etiam Sanguine proximus; quàm ternis *Jordanorum* Lituîs, meritorumqꝫ Famâ, totô celebratus Regnô; in *Michaelis* libra,, pretium Sarmatiæ; in Archangelico Nomine, Princeps Palatinatuum Honor, in Patrio decore, vo-

Conſtantia &Eleonora Sorores Illuſtriſſimi Palatini.

Tertia Soror Jlluſtriſſima Anna Morſztynia Cõjux Jllm: Palat: Bracł: Defuncta.

calis

calis Lechiæ gloria; *Annam Morſtyniam* in Conſortē duxit: cui, præcocî ereptæ fatô, ſepulchrale marmor Petra exhibuit, ſepulta in Cracovienſi Templo *Societatis JESV* ad D. PETRVM, ea funeris Majeſtate, quæ & Regiam Baſilicam, & tanti Palatini munificentiam, & Conjugis utriuſq; honorem decuit ac amorē. *Illuſtriſſimū* verò *Franciſcum Lanckoronſki* Succamerariū Cracovienſem, *Hedvigis Morſtynia*; (quæ in *Illuſtriſſimo* Filio ſuo Capitaneo Stobnicenſi, immortalia, Poloniæ Familiiſq; reliquit decora) *Illuſtriſſimū Stanislaū Derſniak* Capitaneum Radoſzycenſem, *Barbara*; Maritos Sortitæ, inſignes tam nataliū gloriâ, quàm bellicâ fortitudine viros, Domui *Morſtyniæ* fecêre Conſangvineos.

Hedvigis & Barbara Morſztyniæ itidem ſorores Illuſtriſſimi Palatini.

Et jam Nominis Tui ſplendorem, vel in Cineribus emicantem vidimus *Senator Emeritiſſime*; tota hæc *Illuſtriſſima Lunæ Tuæ Domûs*, luctibus hodie innatat, ut profundi doloris altum, noſtris affundat mæroribus. Occurrit nunc ultima Mariti gloriæ Corona, & potiſſima effuſi pars doloris, *Illuſtriſſima è Kalinoviis Morſtynia* Sandomirienſis Palatina. Non ſic excuſſo Neptuni tridente exundans latè procella, con-

Illma Helena è kalinoviis Morſztynia Sandom. Palatina Conjux Illuſtriſſimi defuncti.

 turba-

turbati viſcera commovet Oceani; aut conciti Aquilone fluctus, naufragam ratem lacerant: non ſic vernantes roſas, denſo imbre horridus turbo obruit; ùt amara dolorum tempeſtas, pectora Vxoris mæſtæ concutit. Inter hæc tamen nubila pulchriùs conſtans elucet amor. Accenſa ad omnem funeris ſerenitatem lumina, tam copioſis ignibûs accumulas, ut fatorum umbras exſtingvere videaris: ne pompa Nobiliori occiduum Solem aſtra, quàm *Kalinovianæ* Stellæ Cynthiam tumularent Palatinam. Hanc Majeſtatem hanc lucem noctibus fatalibus addidiſti, illuſtriorē tamen pro Nominis Tui claritate invexeras gloriā, dum Cæſarum Sanguinem, in *Zienoviciis*, Principumq; Domuum in *Wiśniowiecciis*, *Radiviliis*, *Koreccciis*, *Zebrzydowſciis*, *Chodkiewiciis*, *Daniłowiciis*, *Oſſolinſciis*: & maximè dum Te, quia omnes in Te inferres ſplendores, non magis Generis, quàm virtutum. Conſtantiſſima regnat probitas in *Helena*, quæ Stēmate ſidera, ſed pectore Cælum ferre cenſeris: conquiris undiquè Sanctioris Paleſtræ monumenta, nullumq; volumen eſt, quod Chriſtianitatis Polonæ devotionem referat, quin referat Tuam. Subſcribant tantæ probi-

Colligata eidem Nomina.

Virtutes Illuſtriſſimæ Palatinæ:

tati

tati Numina: ſubſcribant votis omnium, nec terrarum ſorti Te invideant, ſed longâ ſeculorum felicitate coronent.

At quouſq; tandem ab interruptis ceſſatur luctibus? atq; *Illuſtriſſimis* Nominibus ſerenatur veriùs pupilla, quàm triſtibûs procellîs offunditur? Ignoſcite Manes Piiſſimi! Debuerat enim, antequam pallens pluiſſet *Luna*, tantum prælucere ſerenum: debuerat non cæca palpebra lacrymas effundere, ſed noviſſe quem doleat, ut ad majeſtatem jacturæ flere poſſet. Decuit, ut luctus fieret pretioſior, dum tot Coronas Mitraſq; Principum, tot Procerum & Familiarum gemmas, velut torrente quodam & doloris impetu involviſſet. Si enim habent ſuum quoq; faſtum lacrymæ, ambitioſus Nobis dolor eſt quem niſi tumido gravē fluctu effundimus, ad dignitatem ploraturi: ita nobis lugendum ducimus, ut gemitus ipſe Senatoris loquatur fata. Procede itaq; unica mærorū felicitas, lacryma! ac à ſublimi murice, purpureā; ab erudito flore, vernantiſſimam; à Bellonæ decoribus, laureatam, decurre appiam: nec errare per genas licet; eodem quo vitæ momenta curſu, ad urnam deflue *Palatini*. Etiamne faſcias tumulo inferet? etiam-

Illuſtriſſimi Palatini vitæ initia Magnæ ſpei

tiamne primam vitæ plantam, irriguus luctuoſo rore dolor imbuet? ut in ſterili, quia ſepulchrali arena, in gloriam vernet immortalem? Editus in Poloni Orbis lucem, nihil obſcurè egit: nutritas ſecum ſpes Patriæ, fovebat ſemper, quas infantilis flos vitæ, non in herba promiſerat. Nec ſolùm è Parente Phæbo, illuſtres Phàëtontis cunæ, è Marte Genitore, Herois faſciæ, colligi poterant.* etiam à tenero ungue Leonem, à cunabulis Herculem, ab infantia Virum, atq; à prima planta licuit metiri, quos gloriæ paſſus faceret. Limini erudito pedem intulit, in Oratorio campo flos Iuvenum, inter doctos vertices, Caput, omnibûs laureîs ſublimius. Mirabatur altior ſeipsô Parnaſſus, ſtupebat clarior ſeipsö Phæbus, dum illi magna pars luminis, ab illuſtri veniſſet Indole. Quid multis referam? legite magni progreſsûs veſtigia duos voluminum tomos, purpurei Solis illuſtre opus, luce publica digniſſimũ: quod partim Lechicâ Camenâ cecinit, partim è Gallico in Polonum idioma tranſtulit, non una lingua celebrandus *Senator*. Felices à tam ſublimi ingenio jam altiores ſcientias! felices Sarmatici Heliconis Muſas? quibus trabeatus illuxit Phæbus. Si enim nulla pulchri-

Studia ejuſ.

Tũ Patrio Carmine cõſcriptos Tume Gallico Polon: redditos libros ad Typũ reliquit.

chrior Parnaſſo ſerenitas, ac dum trabeîs ardet ſuum Numen: Si ſublimius nullum, vatum culmen, ac, in curuli; ſi nunquam pulchriùs doctrinæ vernant, atq; dum laureata nemora, Senatoriîs florent faſcibûs: Auxiſti ſcientiis majeſtatem, cùm ad purpuras, Apollinem eveheres, & Pòeticâ laureâ muricem coronaſſes. Spectabitur tuæ manus labor, Tui laboris illuſtre decus; Caput ſublimis gloriæ, & pretium Capitis eruditi. Ita profectò decuit *Senator Illuſtriſſime*, ut cùm egiſſes plurima, quæ memor poſteritas ſcriberet de Te & miraretur; reliquiſſes etiã quæ legeret, & adoraret. Quid verò rerũ agitur? non ſic Steropis ſudores, fatalis rubigo, ceu ferreũ Gradivi pectus, immitis conſumit dolor! non ſic ſcintillas flumina, ut æſtus bellicos pluvioſa offundit palpebra. Puderet equidem, Martem flere; & contractã in fulmina frontem, diſſolvi in lacrymas; niſi gemitus quoq;, Gradivum ſaperet: nec communî dolendi modô, cruorem funderet pro luctibus. An enim inundantes ſangvine Campi, è luctuoſo emersêre naufragio? quod adverſa toties ſubierunt agmina. In Valachiam & Moldaviam ſubjectum ſibi à *Joanne III.* ita ducebat exercitum, ut ob- Expeditiones illius Bellicæ in Valachiã & Moldaviam.

ſequentes triumphos, promptaſq; ad nutum haberet laureas; quo Duce, ipſæ optabant militâſſe victoriæ. Sed jam Viennam intueor; Caput illud Imperii, timendâ Hoſtium coronâ graviq; obſidione cinctũ. Viennam, jam inimicorum ſpe inconcuſſa, Othomanici exercitus ſpolium; communi Civium metu, adverſi Martis prædam: triſte Chriſtiani Orbis ſpectaculum, Polonæ gloriæ & fortitudinis theatrum. Huc militares Aquilæ, Iovis Sarmatici an Martis *Sereniſſimi* miniſtræ, conuolârunt. Huc invictiſſimus *Ioannes III.* properavit, cui velut orientis fulmini, comitem ſe junxit, Tonitru à ſuo ethymo,, *Iacobus*, Kovalienſis tunc Capitaneus: ut forſitan ſolem Lechicum, *Morſtynia* Phæbe, occaſum latura Orienti, ſequeretur. Quis Tuos, Heros invicte, vultus, in illa Europæ facie depingeret? Frons, ſevero terrebat Marte; fulminabant oculi; ruebant graves ab ore minæ, accenſas pingebat genas, urebat pectora bellandi ardor, ipſumq; in dextris ferrum igneſcebat, Biſtonum tabô exſtingvendum. Et jam ruitur in Hoſtem, novâq; inter prælium pulchræ virtutis pugnâ, æmula certavit fortitudo, ut inter primos vinceres; Patrui Tui *Stanislai*

Ad Viennam invicti herois Triũph9

ac

ac Germani *Michàélis* exempla ſecutus, vel ad exempla prædux. Spargebatur per vicinas Hoſtium cervices millenum vulnus, cadebant proſtrata cadavera, victricem adoratura dexteram: ſatiſq; Victoriæ relictum adverſo Marti; ſi fugâ triumpharet. Sic certâſti, inter millena pericula, ſecurus; volantia inter funera, vitæ prodigus; inter exanimes Othomanos, triumphorum quædam anima, ingentis victoriæ pars magna, totuſq; Poloni enſis gloria. Dum ita ardori bellico invictam donâſſes mentem, honoris invidiam accendiſti. Longus purpurarum exercitus Te aggredi, Tuumq; expugnare pectus ſtatuit: ut jam martio mucroni, emeriti faſces; Bellonæ ſcuto, murices; aurum deniq; ferro Gradivi bella inferre pararet. Tu in ſpolium triumphanti Honori ceſſurus eras. Sed exortã litem, favor ſolii compoſuit, dum Sandomirienſes trabeas Tuo impoſuiſſet humero; & avitum ſublimîs Palatinatûs ſcutum Tibi conceſſiſſet in Trophæa: Sicq; Martem purpurâ, purpuram Teipsô exornâſſet. Vt tandem, quos à ſuperis acceperas, honores, pro mortalium modo, redderes faventi Numini; Divinos cæpiſti augere cultus. Surrexit Auguſtius è cæſo lapide Klimuntovienſe

Purpura Sãdomiriẽſis Jlluſtr: Palatino collata.

Liberalitas in ſuperos Jlluſtriſſi: Palatini.

 enſe

Klimunto-viense Templum Augustè perficit.

ense Templū, Compostellani formam imitatū, ut fuisset *Iacobi*: unius titulô, alterius munificentiâ insigne. Primā illius plantā posuit *Ossolinius*, Tu, non ultimā quidem, aureā tamen imposuisti manū. Nec infelicius Vielicensis Ecclesiæ illustre Sacellū, Vestrîs unicè funeribûs lugubre; quod si è marmore nō surgeret, pridem obriguisset in saxa, tot Virorū jacturam, quot condit tumulö, non ferens. æreä tectum est â Te laminâ. quia non rudi metallo nitere debuerat, quod aureos tumularet *Morsztynios*. Vix hunc absolvit laborem, ultimus sibi labor supererat, vixisse: simul itaq; pretioso operi, simul vitæ finem imposuit, ne priùs vivere, quàm in superos liberalis esse desineret. Sed fallimur! ut post fata etiam munificus esse posses, Cracoviensi *S. J.* Templo ad S. PETRVM pretiosos favores Altare erecturus inscripsisti. Basilica hæc, Regiæ liberalitatis monumentum, Senatoris tanti gratiis meruit exornari. Surget Honoris Tui & munificentiæ ara, in qua liberalem DEO immolasti animum. Surget Tuis favorîbus Altare majus; nihil enim exiguum, nihil non maximum agere consvevisti. Accipe gratitudinem magne Benefactor (quem ipsa plorarent marmora, si pe-

Sacellum Vielicense ære contegit quò opere vix perfecto, moritur.

ctus

ctus ſibi eſſe ſentirent) profuſos mærorũ fontes, quos ex Apoſtolorũ Principis Petra, debitus excuſſit dolor. Concutimur luctibûs: omnemq; movemus lapidem, ut duriùs crudelia fata deploret lacryma, munificiſq; Manibus Cælos imploret à ſuperis.

Et jam aurea circumfuſam luce, jam ſeu purpuris, ſeu hoſtili tabo rubentem Cynthiam vidimus; pallidam quoq;, dolorum tempeſtate proſequi ad urnam nitimur. Iam rapiunt ſua lunam deliquia, jam vicinam præſentit noctem ultimumq; vitæ occaſum: & arctiùs premente umbrâ pallere incipit. Loquar clariùs: extremîs torquetur doloribûs *Palatinus*. Quid ageret vix jam ſcintillans ſidus? cum lucem diemq; funera ſibi eriperent: Cernite! Iuſtitiæ ſolem arripit; arripit langventi dextera, pendentem in Cruce Dominum. Vidiſſes in Sacros Chriſti amplexꝰ ruere; Divina vulnera emortuo ori admovere; & in ultimo hoc vitæ paſſu, plantis oſcula figere; exanimi propè manu, Crucifixũ ſtringere, & ſic diſſolvi. O felicem vitam, hæc inter ſuſpiria exſpirãtem! Felicem animam! quam ſic agere, labor eſt Cælô dignus. In vulnera Crucifixi, animam; in Crucem corda omnium egit, cumq; nihil vitæ intra viſcera

Mors Illuſtriſſimi Palatini exſpirantis in amplexu Crucifixi.

 ſcera

ſcera ſupererat, amantium exanimavit pectora. Sic diem clauſit *Illuſtriſſimus Iacobus Morſtyn:* ſic inſepultũ mortalibus umbris aſtrum, pallorem induit: ſic erepta terris, Olympo illata Cynthia, ne amplius invidiam Cælis faceret. Riſerunt equidẽ Superi, quòd ſua æternitati gaudia illuxiſſent. Patriis tamen terris, ad ſecuturum profuſi luctus diluvium, pallere juſſerunt lunã. Comitatur itaq; ad tumulũ, triſtia cari ſideris fata, ſepulchralibus non obruenda arenis lacryma: & quidquid hactenus ſuos morabatur curſus, præcipiti procellâ corripit: ſquallentes in Cinere purpuras, invectam tumulis, Fortunæ rotam, immutatã Cupreſſo laurũ, amarîs obruit luctibûs, immergitq; & innatantia doloribus pectora, fatali allidit ſaxo. Diſcimus heu infelices, diſcimus Aſtronomi! tritoq; proverbio & facimus, & damus fidem: *pallidam* nimirũ *Lunam, ſemper pluere.* Nec damna bitis *Illuſtres Senatoris* exuviæ, uberrimâ copiâ exundantes pluvias, cùm tanta ſtrages, unâ non poterat lacrymâ deplorari. Si tamen ſolutum placet arctare luctum ligatos etiam dolores accipite; qui ligari poſſunt, non poſſunt ſeu Vatum ſeu Oratorum fontibus exhauriri: cùm indubitatum ſit, in iſta dolorum tempeſtate, priùs verba deficere, quàm lacrymas.

CARMEN.

INferiis quæ fata novis tam grande theatrum
Ingenti ſtruxêre loco? qua ſtrage doloris
Concutimur? ſalſi latices uelut aggere rupto
Plangentes merſêre genas, fluit undiq; luctus,
Luctus corda liquat, vultu stant omnia triſti.
Non viles trabeîs lacrymas, ſed nænia princeps
Patritios cumulat gemitus, qua mole ruentem
Monte Palatino fati vidiſtis acervum,
Publica mole pari vexat præcordia clades;
Quové ruina modo Patrium temerare Quiritem
Auſa fuit, tali ſe luctus ſiſtere Pompâ
Gaudet, & aggeſtos populi, Regnique dolores
Purpureô ſquallere ſinu, faciemquè Senatûs
Immergi geſtit lacrymis: tumulatus in alto
Neptuni ſolio Pháëton ſic ſidera triſti
Involvit leſso Pleadum; pallentia circum
Ora Poli noctis pullo temerata colore
Exequias teſtata Duci, procerique Senatûs
Flammigeri: Herculeos cineres dolor ipſe satelles
Sic Martis cecinit lituô, cum mæſtus Achilles
Implevit galeam lacrymîs, triſteſque lituras
Incidit rugæ memori, ſuſpiria prorſus
Imbellis temnens animæ: Si langueat Atlas
Sic nutat ſtructura Poli, cum cardine laſso
Accelerat lapſum, quamvis firmiſsimus axis,
Et rotat in præceps, tremulos ad funera manes.
Ferte genas liquidas tumulo, date carmina fatis,

Ingentium Virorum fata, magnis digna luctibus.

Et crines planctu laceros dissolvite, pectus
Exanimis finè voce dolor suffundat, amori,
Magne PALATINI Cinis indulgere Polono,
Necdum in Te licuit: magni stant ordine muto
Cum trabeis Cives Patriæ, cognataquè circum
Nomina magnorum stant agglomerata Virorum
Laurigerîs metuenda comîs, hinc fama togatæ
Gentis, & insignî Laurô succincta Corona,
Indè gemunt rauco Bellonæ classica cornu,
Et ferrô signata Domus; commune parentat
Exuviîs votum Patriæ: dum CYNTHIA pallet
Fatô, ac undantes lacrymarum depluit imbres,
Pallida LVNA pluit; latices argentea Vati
Fert Aurora novos; luctu suffusa Camena
Hinc gemet, ac alto penitus concussa dolore
In pluvium dissolvet epos ceû cardine rupto
Diluvio similes sese formabit in undas.

Hìc ubi Lechiadum surgunt monumenta per Orbem,
Et Craciæ Gentis tumuli, de marmore picto
Spirat adhuc grandævus honor, Virtutis imago
Viva suos animat manes, nec pondere saxi
Majestas oppressa jacet; sed muta perorant
Busta decus vivum Latio, tumbæquè ferenti
Exuvias, suus horror inest, reuerentia Sacrum
Ipsa locum cinxit, durat post Fata superstes
Fama vigil Procerum tumulo, Divosque Penates
Vocalî clangit lituô: Stat mæsta cupressus
Desuper, & magni dispensat Nominis umbram,
Illustres tectura Viros: qua parte rubentes
Auroræ spectant thalamos, circumstat Honoris
Grande Nemus, frondosus apex se terminat aurô
Ad celsi specimen Generis, fert quælibet arbor
Cum Lauris Oleas, magna de stirpe Virorum
Purpura depinxit ramos, cum murice succus
Diffusus vegetat venas, propago virescit
Stemmatibûs distincta suis, hinc Sceptra, Curules,
Inde Senatorum pendent de palmite Gemmæ;

Illustrissimi Polonorũ manes, etiã post fata æquè honorandi, ac formidandi.

Omnibus

Omnibus in foliis est ſcriptum Nomen honoris:
Hâc, qua parte caput languenti porrigit astro,
Et Phoebi occiduos demiſsa fronte receſsus
More ſalutantis veneratur, fulgida circum
Arma tonant Martis, Brontis, Steropiſquè labores
In cumulum Bellona tulit, mucronibûs horret,
Alta ſtrues, Clypeis parmas, umbonibus enſes,
Et galeis Lunas junxit commune Trophæum
Stagnanti tabô madidum; de cæde recenti
Ferales pallent criſtæ, ſtant undiquè Beſsi
Intentæ jugulis pharetræ, victricibûs indè
Campi ſubsultant aquilîs, horrendus at indè
E tumulo aſpectu triſti ſe librat Achivus;
Ac velut excidium Mundo meditata Gelono
Buſta triumphales ad Martia bella lacertos
Expediunt, vivæquè rigent in frontibus iræ:
Hæc tamen exſuperat Clypeus rutilantis adinſtar

Clypeus Illuſtriſsimi Palatinatûs Sandomirienſis, tutelare Poloniæ Palladiũ

Deſuper impoſitus Phoebi, quem celſa Cupreſsus
E primo frontis ſurſum jaculatur honore;
Non Pallas geſtat ſimilem, non Troja ſuperbit
Palladio æquali, parmam non ſæcula talem
Lemniaca ſtruxêre manu, non umbo triſulcîs
Ignibûs incaluit ſic, terris imminet altum
Cum tonitru, circumfulgent Adamante rotati
Orbes, de gemmis medium ſe circinat aurum,
Appenſum referens in forti ſtamine carmen.
Huc plauſus! Gradive Pater, tonat inclytus umbo
Sarmatici tutela Poli, protectio magna
Hîc Gentis Craciæ, libertas tecta lacertos
Hôc ſcutô adverſi removet diſcrimina Martis;
O ſummum pignus Lechiæ! non templa Dianæ
Munere tam digno præſtant, non Mulciber ullum
Arte pari meditatus opus, ſtat Patria ſoſpes
Præſidiô firmata Tuô, ſpes magna ſalutis
Hîc innixa jacet, radiantis fulmine parmæ
Adverſas acies proſternere ſufficis unus.
Hæc, Regni Genius recubans ſub fronde cupreſsi
Sando-

Sandomiriaci decoris cum metra relegit,
Horrentes vultu cernit concurrere Stellas,
Et ſubito Clypei ſpectat radiantis ab ictu
Ad formam ſpeculi, prorſus pallere ſerenam
Purpureæ Lunæ faciem, gemmantia frontis
Lumina ſuffundi pluvió, decreſcere vultum,
Et roſeas ſquallere genas, criſpataque circum
Vellera candentis radij teneбreſcere: totus
Obriguit! tremuêre comæ cêu Gorgone viſa
In Clypeo Perſeî, gelidus de pectore ſanguis
Irriguo lacerum planctu conſpersit amictum;
Sed poſtquam laſſam taciturna ſilentia linguam
Officio tribuêre ſuo, ſuſpiria fundens
Cum gemitu, mæſtis ſensim dedit ora querelis.
Sarmatici pupilla ſoli qua fronte Senatus
Pupillus tua damna feret? rugoſior annis
Zodiacus tot luſtra vehit, nec cana diebûs
Sidere paſsa novo naſci, ſed Cynthia longos
Enumeras laſſata dies, maturior ævô
Longævos diſcis curſu tranſcendere ſoles,
Et Phoebi ſuperare domum; nunc lurida circum
Ora jacis? palles facie? nimboſq; minaces
Portendunt oculi; Tibi raucô Viſtula fluctu
Ingemit, & tota lacrymatur Balthide Regnum,
Necnon conſpicuô Rhenus deplorat Hydaſpe,
Hoc de Fonte Genus fluxit, Natalia planctu

Origo Illuſtriſsimæ MORSZTINIORUM Domûs Primus Comes de Monschtervenit in Poloniã ex Palati: Rheni, in quo extat huiusque idem Comitatus

Littora concutiens; cum Lunæ illimis origo
Non parvo de Fonte venit, ſed Cæſaris Argo
Imperij quâ Sceptra vehit, quo defluit amne
Purpureus Comitum Sanguis; quo flumine murex
Alluerat trabeas, quo Cymbam velleris aureî
Portitor immerſit, lotas quâ Phoſphorus undâ
Erexit ſublime genas, his hauſit ab aſtris,
Hîs Fluviîs Vitam biberat MORSZTYNIA LUNA:
Primaque vitalis vix ſpiritus imbuit aſtra,
Ad Faſces Lucina petit, par dextera Sceptris,
Imperio par forma micat, par Faſcibus; Infans

Exortæ Lunæ Sidus, finè crimine quando
Infans si dici poteras? Te lacte curules,
Nectare Te pavit probitas, Tibi portio census
Emeritæ Virtutis erat, deferre tributum
Patritius consvevit honor, vasallus in ulnis
Obsequium Mars ipse facit; leviore cachinno
Arridere togis, vagitu clasica Famæ
Ad grandes stimulare sonos, reptare per arma,
Et teneros artus viridi submittere Lauro,
Sidereæ labor iste Domûs: quo gloria cursu
Quovè gradu Fortuna suos properare jugales
Impulit, hunc COMITES MORSZTINII scandere callem
Muneris esse sui ducunt, socialia magnis
Principibus cùm signa ferant; excanduit Orbis
Impletæ Lunæ Meritîs, & facta probarunt
Custodem Imperii flammam: Vos dicite Rheni
Littora, Vos populi, mundo certamen Eoo
Qui toties inferre manu, totiesque rebellem
Emathiæ ferro didicistis frangere lunam
MORSZTINIÆ Gentis titulos; dic Cæsaris Ales
Ipsa biceps, volucres scribit cui penna triumphos,
Quis tanti sensus Capitis? dum pagina Regum,
(Magne coronati qui fulges Nominis Hæres)
Te Comitem appellare suum sociumque decoris
Augustô effatô voluit; Regale perennet
Elogium foliîs; indignas Nomine tanto
Dicimus hinc laudes, populi quas clasica narrant,
Ora Ducum, Regum Calami, Diademata pennas
Expediant, meritis vestris si congrua tentant
Nomina compingi; qui vos describat abundè
Cæsaris esse Stylus debet; si sæpia Vobis
E Solio nunc nata fluit, si murice tinctæ
Iliades Nomen referunt; quos fama superstes
Implebit fastos? quæ non fastigia laudum
Posteritas longæva feret? fæcundior indè
Vobis exuviæ Proceris, se fundit in urnam
Oceanus luctuûm, quo clari sanguinis altum

Illustrissimo Steph: Alexandro Morsztyn Capitaneo Duninoviensi eundẽ titulũ Cæsar attribuit.

Vivens etiam nunc Comes Mõschter eundem Capitaneum agnovit esse suũ datis ad eum literis.

 Pluribus

Pluribûs affluxit titulîs; argentea primos
Quo magis irradiant vultus natalia Lunæ,
Nubibûs involvi Lacheſes magìs invida fati
Aggreditur rabies, juſti dum cauſa doloris
Tot populos, genteſque tegi decernit in uno
Hôc pheretrô, quot juncta videt cognataque Lunæ
Sidera trans Rheni palleſcere littus Avitum.

Hìs poſtquam Genius ſingultibûs ora laceſsit,
Atque peregrinos inviſit carmine ſoles,
Regnatrix Patriæ Volucris pro lumine Phoebi
Cognatum mirata jubar, defixit in alta
Ignitos oculos Lunâ, ſed marcida cernit
Tempora, nimboſîs ardentia lumina tædîs
Funereas agitare faces; mox ungue triſulcum
Quod fulmen deferre Iovi conſvevit, in undis
Intepuit, ſtupuitquè novas horrere procellas,
Et ſubitò plorare Deos; ſtridentibûs alîs
Excutiens madidas pennas, demiſit ab Alto
Turgentem lacrymis calamum, qui ſcripsit in atra
Langventis Regni facie documenta doloris,
Magnarum jungens pariter præcordia laudum.

Primus Monſchter aliô Nomine Specimirus multarum Familiarum erexit Colonias.

Sexcentis tremuit jam ſol grandævus ab annis,
Sarmaticum dum cana Polum conſcendere Luna
A Rheno conſpecta fuit; quibus arſit ab Aſtris
Tunc Fortuna novîs Patriæ ſplendoribûs aucta?
Sidere quo Cælum riſit? lætantur ad ortum
Auroræ non ſic volucres, non Perſa reſumit
Sic vultum Phoebi reducis, diffluxit ab æſtu
Vt Lunæ Procerum facies in gaudia mille:
Vt SPECIMIRE Tui viderunt Sideris ortu
Auctos ſe Patres Patriæ, fæcunda Nepotes
Gloria puniceô dignos numeravit in oſtro;
Iam quo Carpatii ſuccreſcunt vertice montes,
Tarnoviæ Colles, Melſztyn, Granovia, Pilczæ
Fundatæ ditio, vicinaquè tecta ſub auras
Erexêre caput; quo Nomine longa propago
Stemmata diſtribuit, trabeîs implere Senatum

Quos

Quos nunc continuîs ſpectas, ſuccrevit in auge
Tanta Senatorum, tam pulchra colonia gentis
Ad fasces genitæ; Sidus vidiſtis in unda
Vel ſpeculo geminare Caput? tot pingere Phoebos
Multiplices diſcunt radii, quot partibûs ardet
Cryſtalli ſplendor Proteûs! generantur in ampli
Sic nemoris reſponſa loco, ſi tinniat echo;
Audiſtis? ſic Luna parit geminatquè Polonum
Auguſta de ſtirpe Genus; ſi plena favore
Influit aſpectu læto, Clypeata Virorum
Mox ſeges in Patriis ſuccreſcere cernitur arvis:
Hæc quæ primævi monſtratur Nominis Hæres
Quot radiîs ſuccincta micat, quot cingitur aſtrîs, Antiquiores Morſztinii: Hieronymus Canonicus Poſnaniensis.
Tot titulîs ſtipata nitet: redimire tyara
Hunc Sacris geſtit violîs, arcanaquè cordis
Huîc reſerat Regum Genitrix, nec digniùs unquam
Nec meliùs tacitos potuiſset Epheſtio ſenſus
Aſſervare Bonæ, veluti dedit ille ſigillo
Perpetuo commiſsa ſibi. Stetit arbiter alter Ioan: Conſil: intimus & Generalis Reg: Danlæ. Boguslaus itidem apud Brandeburgum
Conſiliis Danicis pariter, pariterque trophæis:
Cui Nomen charites, Regum cuî gratia cordis
Imperium proprii tribuit; pendebat ab ore
Alterius vicina ſalus, & Mitra propinqui
Principis; integritas quidni Lechea perennet?
Dum quo conſilio quo ſtet dictamine veſtro Felix Vice præfectus Stabuli M. D. Lithv. per totam ferè Europam Legatus.
Integer Orbis habet: Litavus ſed devehit illum
Ad magni ſonipes gemmantia frena Ducatûs,
Et frenum Regni poterat tenuiſse, rebelles
Sarmatiis poterant certè ſervire lupatis:
Audiit Europæ ſolium reſponſa frequentis
Legati, & juſtum, ut ſceptri moderetur habenas
Concluſit: juratus honor Vendenſibûs illum Alexander Palat. Vendenſis, prius Caſtel. Rogozinenſis.
Muricibûs tinxit, nec luſit Nomine vano,
Magnus Alexander faſces geminavit honoris,
Orbes ceû votîs Macedo. Venator, honoris Tobias Venator Regni
Quæ Tibi ſylva fuit? pacis dare fædera Danis,
Ferre minas ſveco, torvum exagitare Leonem,

Ad casses terrere feram, laqueosq; minaces
Artibus opponi belli; venatio tanta!
Incubuit munus tantum! post Frater Olivæ
Prælia composuit, bifrontis limina Iani

Tobias venator Regni fædus cum Dano conclusit, Sveco bellum intulit, conclusum Tractatu olivensi á suo Fratre Ioan: Thesaurario Regni.

Clausit, & armatas acies compescere Martis
Iussit dissidium; quám pro tunc divite pacis
Campi vernarunt oleâ? quám pulchra sereno
Luna stetit cornu? tranquillum Balthide tota
Immaduisse fretum, nullam sævire procellam
Vidimus, & totô riserunt gaudia pontô;
Nempe Domus Vestræ nutus expectat Enyo,
Obsequitur tranquilla salus, indicere ferrum,
Concordes sociare manus, dare fædera Regnis,
Et pacis, bellique vices decernere, vestro
Officio Fortuna dedit, jacit alea belli
In Vestris sortes manibus; narrare Togatæ
Hunc Genti Procerem satis esset, legit in unum
Hic omnes cumulum titulos, transcendit Olympum
Gestorum series, laudumque sequentibus undis

Hic Thesaurarius fuit Legatus ad Sanctissimũ ad Cæsarem & Regem Galliæ.

Obruitur demersa chelys; si forte theatrum
Consulimus mundi? diffusum scena recludit
Maturæ Famæ spatium, vos tecta Quiritum,
Vos Nymphæ Tyberis, Latii vos Numina solis,
Austriaci narrate lares, dic Gallia Princeps,
Flos Regum, niveus candor cui Sceptra notavit,
Legatus Regni qua majestate penates,
Invisit vestros? nunquam Cicerone secundo
Sic meminit tellus sese Romana locutam,
Nunquam sic meminit Pericles! stupuêre Quirites
Eloquium tant[illegible]um Lecheo climate nasci.
Atq; suum Tripodem donant oracula Delphi,

Idem Consortem habuit Cath: Marchionissam de Huntley quæ per directã Lineam Reges multos Morsztynis connectit

Nam quæ de Vestro sensu dictamina discat
Integer Orbis habet. Magni si fædera nosse
Connubii, thalamos flammîs genialibûs uri
Illustris si Luna cupis? socialia nexûs
Stemmata si Cytherea parens mihi pandis? abundat
O quantîs titulîs! sistit se Marchio sanguis

Purpu-

Purpuream gestans chlamydem, quo lilia scandent
In Sceptro PHILIPPE Tuo, quo Gallia Bellum
Alluit, & Regum vultus quo fulget ab ostro;
Ceû sponsos Aurora suîs exsuscitet undîs,
Atque novo, soli se Cynthia fædere iungat;
Regnorum Soles thalamô spectantur in uno,
Hinc Cliviæ Scotiæque toro se Geldria jungit,
Inde coronatum Tibi destinat Anglia pectus
Sideribus cognata Domus; circumfluis alto
Sangvine Regnorum, tanquam deferret in unam
Oceanus concham gemmantia pignora mundi,
Exhausti sitiunt Hermi, siccatur ab æstu
Ganges, nec calidos potuit Piscaria fluctus
Invidiæ privare notîs, cùm totus in unum
Vultum colligitur pretiosi Sangvinis humor,
Ac auro fusos exhaurit Cynthia fluctus.

Idem Consortem habuit Cath: Marchionissam de Humsley quæ per directã Lineam Reges multos Morsztyniis connectit

Non dispar magnam Sobolem conjunxit Hymenæûs
Principibus mitris, quarum si nomina vellet
Ad numerum revocare chelys, ferventia totô
Bella marî, Auroræ funus, lethalia Besii
Vulnera, devictas Orientis sistere lunas,
Atque Palestinis celeberrima signa triumphîs
Deberet festivus honor, Tu maxime Vindex
Labentis Sceptri Solimæ, Godefride, per omne
Sat celebrate solum, quantùm! de Sangvine tanto
Natalî Regum venâ dignatus amori
MORSZTINIO donare satis cum Conjuge, qualem
Optaret Regum solium, totusque senatus
Ad sceptrum natæ Gentis; cognatanè Lunæ
Europæ Regnis tantùm sunt sidera? parvus
Iste Polus tantîs trabeis; tranquillus orion
Vnde rotat temone diem, statione peracta
Vnde madens roseum conscendit Phosphorus axem,
Ac gelidæ glacies Vrsæ se librat olympo,
Inde Tuas fers Luna genas; Orientis, & Euri
Affines retines titulos; connubia mundi
Nobilitant talamos, ac maxima sidera Regum:

Michael Filius dicti Thesaurarii Consortem habuit Principẽ de Cheorsusse procedentem ex Principibus Lotharigiæ per Godefridu de Bouylon Regem Ierosolym:

Oceano ſimiles exnunc decreſcite fontes,
Et tyrii Regum latices areſcite; Luna
Sangvine quô mundum vegetet,quo defluat amne,
Quô conſangvineas trabeas humectet honore,
Iam ſatis iſta tenet; ſitiat ſi totus olympus
Patritii generis, Regumq; Ducumq; cruorem,
Hoc de fonte bibat. Parvô ſi ſingula metrô
Complecti cuperem, ſudantia ſæcula prorſus
Frangeret iſte labor; quoniam fæcundior omnî
Ingeniô ſtetit alto. Domus, quæ divite ſulco
In magnam potuit citius ſucreſcere meſsem
Quàm Pallas repſiſset humi, tentaret Apollo
Patricium laudare genus. Tu Fama Polono
Orbe volans magnas ad patria claſsica laudes
Si revocas? Latium Procerum te dicis in una
Poſse videre Domo; quoties petit inde Dianas
Principibus ſoliacis amor, ſtat ſcipio Regni
Fædere perpetuo junctus, ceû Stemmata Lechi
Omnia MORSZTINIO gauderent Sangvine tingi.

Cujus Sororum una ceſsit in Conſortem Principi Czartoryiski, altera Bilinſcio Mareſchalco Regni.

Marte cruentatos tandem ſi forte lacertos
Enumeret Bellona potens, nimbosq; minaces
Sangvineæ Lunæ? dat bellica caſtra virorum
Vna Domus, ferro totam ſe dedicat una,
Ac velut ignitus fatalia ſigna Cometes
Sidere vibraret Veſtro, præſagia cædis
Adverſæ ſumunt acies. Vt cornua Lunæ
Exacuit Beſsus, Regnorum clade ſuperba
Harpya ut juſsit fatales clangere turmas
Exitium Patriæ, ſteterant duodena Virorum
Caſtra ſimul, quibus unus honos, ab origine Sanguis
Vnus confluxit, ſtimulìs hìs pectus ahenum,
Hìs verbìs animos ſcrutata. Ferocibûs armìs
Immugiit jam Nympha Tyræ, quid concutit anceps
Membra metus? timido Fratres date terga, pudori;
Ingenium nobis ſi ferbuit indole magna?
Viſcera ſcrutandum eſt ferrô; Stylus iſte notabit
Sanguine, quid valeant humeri; juratus ad aras

Primo bello Chotim: 12. Morſztynii pro Patria Victimæ occubuerunt.

Stábit

Stabit amor Patriæ frustra, de Sanguine fundit
Si nihil; atque litet se victima; divite fluctu
Si rigat arma cruor? tandem feret aurea nobis
Posteritas pretium; si libertatis amore
Vrit nos Patriæ decor? excandescat ab istis
Flammis magna sitis ferri; cur vertice lunas
Auratæ gestant galeæ? cur cornua vibret
Depictum clypeis sidus? si mentibus istis
Non addant grandes stimulos, si vindice flamma
Non oculos perstringunt hostis; degener ista
Est soboles, Patriam quæ nunquam vindicat armis;
Vnanimes jungant clypei jam Sangvine junctos;
Non alii pateant aditus his hostibus amplos
Ad fines Lechiæ, quàm per disrupta sagittis
Pectora; quid vacuos titulos servamus Avorum?
Trita Patrum validô si non consternitur ense
Semita, nec fortì generatur fama nepote:
Macte animô! morimur? Patriæ moriemur, & haustas
Reddimus his animas læti, quibûs hausimus astrîs;
Vivimus? o! quanto Patriæ vivemus amori;
Qui dedit eripiat vitam, moriemur? abundè est!
Pulvere de nostro nascetur gloria Phænix.

Quilibet hæc dixit, dixit sed quilibet omne,
Omnes quod dixêre simul, citiùsque locuti
Vnanimi vultu sese jaculantur in hostem;
Et jam fulmineis prosternitur ensibûs Eos,
Iam medius Geticas detruncat mucro phalanges,
Mille neces manus una tulit, tulit altera mille
Clades, effuso rubuerunt sanguine campi;
Hic caput, hic laceræ diverberat abdita frontis,
Hic humeros, dextras resecat, metit ille lacertos,
Ille per immensas spatiatur fulmine mortes:
Sed postquam centum jaculis, totidemque gravata
Corpora vulneribûs pandissent ostia mille
Indomitis animis, strato jam calle triumphis,
Occumbunt omnes; tanquam mortalia posthac
Corpora pertæsi, profugos ad tartara Bessos

 Impelli

Impelli cuperent; Mars Lechicus ense perennem
Incidit laudem clypeis jam cæde peractâ.

Hic Patriæ tumulatur amor, conjuncta duobus
Vna decas partam geminat de Sanguine laurum,
Omnibus una fuit virtus, divisa per omnes
Gloria millenos poterit distinguere fastos;
Omnes MORSZTINII fuerant, quos nomen eodem
Stemmate conjunxit, patitur non unio fati
Divelli; hunc numerum rectè si dividat ingens
Gestorum series, decies numerabis in uno,
Et plùs quàm centum Decios; mors abstulit una
Tercentos Lechiæ Fabios, nam quisq; fuisset
Tanquam centimanus, millenos perculit hostes:
Pectoris indomiti virtus stipulata Virorum
Conserit immensos manibûs super arva maniplos;
De Comitum natos ut sese Sanguine narrent,
Vnanimes sociant Laurus; ad busta sepulchri
Incomitatus erat nullus: de stemmate Luna
Fulget, & antiquos Phoebi superare labores
Iste potest numerus, per flammea signa trionis
Se duodena vehit, Cæli statione receptus:
Vis quibûs inferiîs Sacras posuêre favillas?
Corpora texit humus, sed mens convexa Tonantis
Cum magnis animis petiit; formabitur alter
Posthac Zodiacus Patriæ, decurret in axe
Quisq; suo, multosq; ferent in stemmate soles.

Nec miror tot Marte viros præstare, penates
Vestros laurigero cum consecrastis honori;
Ille Palatinîs qui rexit fascibûs astra
Mazoviæ, atque pares demum geminavit honores
Sandomiriacîs trabeîs, generalia nostræ
Militiæ mandata ferens, incanuit ipsîs
Officiis Martis, grandævaque prælia multis
Annis confecit; quoties præcepta Gradivo
Ac belli insolitas gladiô dictaverat artes?
Scilicet emensis tremuit quot cana diebûs
Cynthia, tot veteris belli maturuit armis

Stanislaus Morsztyn Palat. Mazor: post Sandomir: Patruelis defuncti Generalis exercitûs Regni per annos 40.

Ista

Iſta Domus: Cineres cujus deplorat in urna
Publicus iſte dolor, Tu dic redivivus ab umbris
Magne Pater Patriæ, quanto! Reſpublica plauſu
Immenſos toties fuerat dignata labores?
Pauca loquar, ſed multa tamen, cùm plura loquetur
Poſteritas, ſolvent cùm multi ænigmata ſaſti;
Suppetias tunc quas tuleras? dum fœdere juncti
Te ad regimen Cives Patriæ petiêre ſupremum
Armorum? primos faſces moderatio mentis
Pulchra recuſavit; ſed quod cunctatio fecit,
Salvantis Lechiam Fabii, Te Conſule fecit,
Conſiliîs adjuta Tuîs & Fratris amore.

Illuſtriſsimi Palatini Sandomir: piè defuncti cū Illuſtriſ: Capitaneo Duninovienſi ſpecialiter celebranda poſteritati virtus.

De ſeptem, gemini Fratres, cum Caſtore Pollux,
O! quibûs obſequitur Vobîs Fortuna trophæîs?
Quod ſi Lecheô decreſcant ſidera Cælô,
Iam ſatis in veſtris radiârunt Numina Lunis,
Iam ſatis uſſerunt Superi meliore Coronam
Sarmatiæ rutilô; divîs ſplendoribûs arſit
Dum veſter geminus Splendor: par ſtemma duorum
Par fulget pietas, præſtans concordia junxit
Corda ſimul, Cordi Patriæ ſociavit amorem
Nexibûs æternîs virtus communis utriquè;
Alterius faciem ad vivum ſi pingat Apelles,
Alter conſimili ſe monſtrat imagine; princeps
Ambobus deſervit honor, nec fama perennes
Diſtinguit titulos; ſic conſpirare videtur
Germanæ probitatis apex! faſtigia laudum
Fœdere perpetuo jungunt æqualia vota:
Quám pulchrum certamen adeſt! quæ jurgia Magnis
Fratribûs! hic galeas prendit, petit ille triumphos;
Conſiliîs hic Regna juvat, juvat ille Polonas
Arbitriô trabeas; hic majeſtate verendus
Frontis, at emeritîs alter ſe ſiſtit in oſtris;
Forma verecundis hunc donat vultibus, illi
E nivea voluit gemmare modeſtia fronte;
Hoc tantúm diſcrimen erit, diſcernere poſsis
Vt Fratres geminos: Patriæ dum claſsica bellum

Illuſtriſsimo Andreas MORSZTYN Caſtellanus Sandecēſis & Illuſtriſ: Stephanus Alexāder Capitaneꝰ Duninovienſis Germani Piè defūcti Fratres ex Septem reſidui

Illuſtriſsi: Andreæ MORSZTYN Caſtellani Sandecēſis ante Capitanei Sira.

Vanda-

diensis dexteritas contra invasores suecos.

Illustrissi: Capitaneus Duninoviensis In Galliis versatus fuit Rothmagister Cohortis Polonæ.

Vandalico rursum voluerunt ferre Leoni,
Siradiæ junctis clypeis stetit arbiter ille
Armorum, docuitque feram sentire rugitum:
Ausibûs innumeris hic Gallica Signa secutus,
Lecheô docuit Gallos pugnare Gradivô;
Nec puduit toties Procerem certare Polonum
Marte peregrino, palmas meruisse sub illis
Signis, quæ niveô vernantia flore coronant
Lilia, nec viridi possunt sterilescere Lauro;
Viderat Herculeos Equitis Rex ipse labores,
Et didicit Martem nasci sub sole Polono.
Acsi gemmantes Lunæ piscaria vultus
Ablueret, fert alba genas, niveôque serenat
Astra superciliô; talem pinxisse colorem
Candor, & antiquô Sincera Polonia corde
Fertur ad invidiam; quodsi livoris ab æstu
Tabescat macies? color hic sic disgregat atræ
Pupillæ radios, ut, tanquam lactea solis
Sese multiplici spectandum sistat in astro:
Purpureus rubuit vertex? rubicunda cruore
Effuso toties maduit; tot tingitur ostrîs
Quot trabeas numerare valet; præsagia ventis
Cynthia rubra facit? sed non popularibûs aurîs
Inflatam videas, timidos diventilat hostes,
Et conjuratos revocat sub classica ventos,
Atque favore Iovis plenissima, mulcet amicîs
Indigenas Patriæ Zephyris: quid pallida tandem
Ora geris? mæstoque ardentia funera luxu
Accendis? squallore genas, fatalibûs umbrîs
Distingunt frontem maculæ; jam fluctuat æther
Naufragus in lacrymis, madido jam nymbus inundat
Planctu Sarmatiam; properant succurrere Lunæ
Deliquiis, populi gemitus; se sidera pullâ
Veste tegunt, oculosque Poli squallentibûs astrîs
Præcipitat luctus; jam posthac dicite cæcum
In pheretro Proceres Patriæ languentis amorem,
Fluxerunt oculi lacrymîs: gemit inde Senatus,

Et velut

Et velut auroræ thalamos rorantia Cæli
Culmina nobilitent gemmîs, ſic gemmea frontis
Tempeſtas gelidô trabeas demergit in alto
Luctibûs effúsis; nec planctum ſpongia ſiccat,
Excipiunt Pleadum gemmas conchylia cordis,
Tanquam purpurei pretioſa monilia queſtûs:
Regia ſtat ſimilis Phoebo, gemmata columnis
Auguſtis totidem, Lechi quot fulta coloſsis
Majeſtas grandæva ſtetit, quot ſplendida fulcris
Celſa baſis nituit Patriæ; tollatur in altum
Etumulo ut junctis humeris tam grande cadaver,
Exuvias humilî terrâ ne condere poſsint
Incultæ Lacheſes; jam diſcit flere verendus
Majeſtate dolor, tumidis ſingultibus ora
Tingit ſolicitus, madidis turgentior undis
Vt gemitus Regalis eat, luxiſse decebit
Ad faſtum quendam Proceres; ſi purpura ploret
Ambitus eſt ingens lacrymis: jam terra ſuperbit
Magnificis veſtita togis, quas Sacra Quiritum
Vellera ſtraverunt; tandem locus ipſe ſenator
Vt rutilet, tantæ trabeæ quæ contegit oſsa
Gleba paludatis ut ſeſe jactet in oſtris:
Excubias faſces peragunt, Vigileſque ſecures
Aggreſsæ Laurum Phoebeâ ſtirpe virentem
Cædere, Patritias appendunt ordine vittas
Permiſtas oleis, & quotquot Numina pandit
Curia magnorum titulis inſcripta Virorum,
Omnia funereæ venerunt victima pompæ.
Inde Palatinis accreſcunt montibus undæ,
Et Cives Patrem Patriæ ſaliente procella
Ex oculis tumulant, tanquam placuiſset amori
Fxplorare fidem lacrymîs, quam fædere ſacro
Nobilitas jurata dedit; jam viſtula totus
Sandomiriacos planctus collegit in unum,
Et Tecum mergit pheretro; velut Hectoris urnam
Noſtri Scipiadæ tumulum, cinxêre cohortes
Innumeris Equitum turmis, cinxêre phalanges

Nobilium; ſculpunt hi patria Stemmata ſaxo,
Illi ſelecto nexas de flore coronas
Injiciunt tumbæ, creſcant ut digna trophæa
Exequiis tantis; æternis nexibûs enſes
Diſtrictos jungit galeis, pharetraſque minaces
Hic addit clypeis, circum lituoſque tubaſque,
Balthea ſuspendunt alii, quæ merſa cruore
Irriguo Bellona tulit; parat ille ſariſsas,
Ingratis tanquam vellet dare vulnera fatis,
Quæ Patriæ violant columen, vel frangere tela
Iam laſsata priùs lacrymis, formare perennem
Scuta rogum gaudent: numerant inſignia quotquot
Inſignes Cives Patriæ, fert ſingula buſto
Obſequioſus amor, tanquam ſpirare recuſet,
Exſpirat dum Luna polo. Duo Sidera Fratres
Tempeſtate pari jactantur, corde gemente
Tamquam nymboſos vellent pulſare Triones;
Sed fruſtra: toto conſurgunt nubila Cælo,
Lunaquè funereos vultus eclipsat in undis:
Non tantum jam roſtra decet gemuiſse ſolutis
Planctibus, ut poſsint juſtum perſolvere cenſum
Purpureo cineri, licuit ſed metra ligato
Intonuiſse ſtylo, tantum cum vincula fatum
Omnibus injecit Tacitis, pariterque Pòëtas
Adſtrinxit lacrymis, quidni lacrymetur Apollo?
Cynthia dum Phæbo ſimilis decreſcere vultum
Sentit, & occiduos ſpectat funeſta triones:
Extremus celebratur honor non paupere luctu,
Sed numeroſa Tuos deplorant marmora manes,
Plangit Nobilitas, totum deflenda per Orbem
Funera, jam toto Cælo celebrentur & aſtris.

Eclypſis Lunæ proximè poſt Fata Illuſtriſsimi Palatini

C Q S G E S I R Panegiry Pogrzebowych

A.

1. Acumen Doloris explicatum
2. Ad mentem Patriæ Caput

C.

1. Clavis Aurea fracta
2. Classica Mortis feralia

D.

1. Dissertationes super rubricas.
2. Dolorum Oneraria navis producta.
3. Dolor Patriæ Æternus

E.

1. Procemium ad solennes Exequias

J.

1. In Obitum Serenissimi Principis.
2. Iactura Orbis Literarij transmissa.

K.

1. Księżyc adumbrowany.

L.

1. Legatus renunciatus.

M.

1. Memoria Sæculorum intimata
2. Monumentum Doloris dedicatum.
3. Monumentum Consecratum
4. Mowa na pogrzebie
5. Munus Dolorum

P.

1. Parasceve Descripta

S.

1. Splendor Consecratus

T.

1. Tropheum wyrysowane
2. Tropheum Consecratum

V

1 Vivat Aeternum impressum
2 Viva Mors seu Morti superstes

